This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


PAPELES
VARIOS
MÉ S
61
H65
R

DE FEBRIBVS

COMMENTARIVS EX LIBRIS ALIQVOT HIPPOCRATIS ET GALENI, PARTE PLVrima ſelectus, à Iacobo Syluio rei Medicæ apud Parrhiſios interprete regio.

PARISIIS,

Apud AEgidium Gorbinum, ſub inſigne Spei, prope Collegium Cameracenſe.

1561.

CAROLO LOTARINGO
CARDINALI IACOBVS SYLVIVS S.

Egia progenies Lotharingæ amplissima gentis,
Ex atauis Siculæ regibus orta domus:
Nascēti Pandōra dedit bona cuncta:
καὶ αὐτὸ
Ἀγλὸς ἀμαλθείας πᾶν κέρας ἐξέχεεν.
Nascenti, radio Titan affulsit amico:
Ingenij & viuos contulit igniculos.
Et Musæ faciles, & Maria Atlandide natus
Mercurius, sacra concinuêre lyra.
Tam bene dotato natura & munere diuûm
Additus humana cultus ab arte fuit:
Disciplina grauis: sophiæ pars omnis: vtrunque
Ius: & adorandi pagina sacra Dei.
Cunctarum cumulo rerum & virtute, Gradiuis
Francisco, Henrico regibus vsque places.
Henrico regum summo tu fidus Achates:
Tu bonus es Consus: tu manus, ac oculus.
Tu nostras musis auges patronus Athenas.
Musarum & mystis ocia digna facis.
Ergo agite, ô socij, meritis pro talibus, hymnos
Psallite: odoratis spargite aromatibus.
Vos quoque, quos noster labor hic quandoque iuuabit,
Siue febrim fugitis, siue febrim abiicitis,
His pro muneribus summa incrementa rogate
Gallorum summo pontificum domino.

VALE.

AD CANDIDVM LECTOREM.

Vniuersam febrium naturam cognoscere, non medico soli, sed reliquis quoque hominibus vtile admodum est ac etiam necessarium: illi, vt certa methodo curet: his, vt præcaueant, & febrem curanti medico morem gerant. Quòd febris ipsa morbus sit & frequentissimus, & sæpe acutissimus, vel acutis prope omnibus morbis connexus, à qua maximum vitæ periculum non rarò impendet. Adde quòd reliquorum morborum plurimi vnicam tantùm actionem lædunt: animalem scilicet, aut vitalem, aut naturalem: febris verò omnis actiones has omnes lædit: hoc est debilitat, vel deprauat, vel abolet: quasdam tamen magis, quasdam minùs. Quin & bellua ista tã furiosa febris, actiones istas lædit: non sua solum violentia & ferocitate ac malignitate, sed etiam suorum symptomatum tam multitudine, quàm magnitudine. De quibus tum leuibus, tum grauibus & vehementibus ac vitæ periculum intentantibus, posteà fusiùs acturi sumus. Quapropter opinor febrem ceu morborum omnium malignissimã & sæuissimam luem, ne noceret, Romani coluisse dicuntur. Hunc porrò commentariũ ex duobus rei Medicæ clarissimis luminibus, Hippocrate & Galeno eius interprete absolutissimo excerpere malui, quã ex Græcis aliis aut Arabibus, aut horum sectatoribus, quòd in his quicquid est lectione aut imitatione dignum, ex Hippocratis Galeniq; fontibus purissimis exhaustum est. Adeò ingeniosa & studiosa & diis accepta fuit veneranda illa antiquitas. Pauca quædam tamen nõ ignaua omnino posteritas rudis quidem, sed exemplorum fide plena, aut clariora reddidit, aut vsu experientiáq; frequenti certiora. Quæ vnusquisque etiam mediocriter institutus, his velut fundamentis adiungere poterit, hoc est, Hippocratis, Galeniq; placitis. Quæ in febribus describere & tibi, lector candide, sequenda proponere nunc malui: vt pauca hæc ac certa & methodo tradita fideliùs memoriæ complectare, & illos tanquam parentes omnium nobis bonorũ authores, vbique ac semper venereris. Quibus de medio sublatis, Medicina sit velut chaos antiquum, & certe hominũ carnificina, & id omne, quod in stupidos suæ ætatis Medicos iustissimè Plinius inclamat. Cæterùm ex

Initio cō. 1. & 2. in 6. epi. & lib. 3. diſpnœæ.

cerpſimus præcipuè commentarium hunc ex Hippocratis dicta acutorum, aphoriſmis, prognoſticis, prorrheticis: etiamſi hæc vbique hippocratica non ſunt, vti nec epidemia (nam horum primus & tertius maximè Hippocratica ſunt. Secundus, quartus, ſextus, à Theſſalo ipſius filio ſcripti ſunt: quintus & ſeptimus ſpurij ſunt) Ex his tamen & ſcriptis à Galeno in eos commentariis, quæ hanc ad rem pertinere magis videbantur, tranſcripſimus. Addidimus verò febrilis naturæ partem maximam, ex Galeni libris duobus de differentiis febrium. In quibus etiam cauſas & ſigna & interdum curationem attingit. Pleniùs autem hæc præſtat libro priore ad Glauconem, & libro ſecundo criſeon, & libris methodi, octauo, nono, decimo, vndecimo, duodecimo. Non pauca etiam eodem pertinentia, ex Galeni libris de temporibus morborum vniuerſalibus & particularibus, de typo, de cauſis procatarcticis. Ex quibus omnibus vniuerſam febrium naturam, hoc eſt, eſſentiam, differentias, cauſas, ſigna & ſymptomata, & curationem non modò febrium omnium communem, ſed ſingularum quoque propriam cognoſces, paruo admodum temporis diſpendio.

Vale lector candide, & his maiorum donis fruere non ingratus, quæ eſt hodie turba omninò maxima.

Candidus imperti meliora, vel vtere noſtris.

DE FEBRIBVS COMMENTARIVS,

EX LIBRIS ALIQVOT HIPPOCRATIS ET GALENI, *parte plurima ſelectus, à Iacobo Syluio, rei Medicæ apud Parrhiſios interprete regio.*

*

De febrium eſſentia.

Ebris eſt totius animalis calor immodicus lib.1.de differ.morb. Febris eſt calor præter naturam totum corpus occupans.ibid. Febris eſt quoties calor præter naturam, in corde extiterit.lib.1.de diff.feb.cap.3.Febris eſt calor adeò auctus ,vt corpus totũ vexet & actionẽ lædat.li.1.&2.Meth.Febris eſt cum adeò immodicè auctus eſt calor, vt & hominẽ offendat:& actionem lædat.lib.8.meth. initio.Febris eſt intemperies calida in totum corpus diffuſa.lib.9.meth. Febris eſt calor natiuus verſus in igneum. Galen.aph.16. lib. 2.A quo calore,igneo,πυρετὸς Græcis dicitur,vt latinis à feruore febris.Quin πῦρ, id eſt,ignem,nunc febrem vehementiſsimam & ardentiſsimam Hippocrates aliquoties appellat.Ex quibus locis & pleriſque aliis apertè conſtat, febris eſſentiam eſſe in genere caloris præter naturam. Duplicẽ autem eſſe calorem in animantis corpore nouit Hipp.Vnũ quidem natiuum in ſanguine & ſanguineis viſceribus eſſentiam ſortitum:alterumverò acrem,mordacem,igneum: in quo etiam eſt febris.De illo enim ſcripſit: qui creſcunt, plurimum habent calidi innati: & vẽtres hyeme & vere natura calidiſsimi.De hoc autem,ventres calidi,frigidæ carnes,& graciles & venis cõſpicuis & iracundiores. Ille au-

Lib.2.epi. Gale.in- tio feb.

Gal.cõ.4. in 6.epi. aph.14.et 15.libro.1.

& com. 4 in eũdem. tem alimenta propè coquit in ventre & venis, & partibus ſingulis: hic aſcititius ſeu non naturalis ſeu præter naturam, corrumpit in qualitatem, frigida quidem alimenta, ibi. & li. 1. fe. 1. ca. 4. & cõ. aph. 14. 1 li. Meth. 11. acidam: calida verò, nidorulentam, & tranſpirationem efficit calidam & mordentem: quę cute àſtricta, ſtatim febrem efficiat: cum ille tranſpirationem efficiat ſuauem & morſus expertem: & denſata cute non febrem, ſed tantùm plethorã faciat. De vtroque Galenus. Quicquid in rebus ſubſiſtit, augetur, roboratur, ſanum eſt: dum proprio & natiuo calore regitur. Quem in animalium corde ſeruat reſpiratio & per cutim tranſpiratio. Alter alienus ac præter naturam in corporibus excitatus, primùm quidem ſuccos ob humiditatem putrefacit, & corrumpit: tandem verò & adipem & carnem. Et commenta. in lib. 6. epid Calor natiuus (ad quẽ potiſsimum corporis functiones refert Hippocrates) incenſus priores fũctiones non poteſt perficere, neque nos alere (quod illi maximè proprium erat) imo ignis modo corrumpit, tabefacit & colligat. Alibi quoque ſtatuit Hippocrates caloris in nobis genus duplex: vnum familiare & natiuũ: alterum alienum & præter naturam. Et Galenus calorem febrilem ob ſuccos putreſcentes accenſum in febre acuta, primo die euaporaſſe ſcribit: relictum verò natiuum ſolum, ita imbecillum vt iam extingueretur: priuſquàm calor febrilis rurſus accenderetur. Ob id ſecũdo die extrema refrigerata & magis manus & caput: & ægrũ mutuum βραχυπνοῦν ſeu breuiſpirium euaſiſſe, affirmat Hippocrates. Quapropter πέψιν, & πεπασμὸν ſeparauerunt Hippocrates & Galenus: vt ſit illa, eius quod coquitur deductio quædam in coquentis ſubſtantiam: & in ſanis illa fiat, dum quod coquitur coquenti familiarem habuerit naturam: & ſubſtantiæ quæ coquitur vel totius vel maximæ eius partis mutatio & alteratio efficiatur: & ſit pauciſsimum quod ſemicoctum manet. πεπασμὸς autem morbi eſt & eorum quę præter naturam ſunt veluti coctio quædam & maturatio, in qua quod aſsimilatur paucum eſt: quod autem ſemicoctum & ſuperfluum, multum. Quanquàm alibi πεπασμοῦ ſignificatum latiùs extendit Galenus: dum omnẽ deductionem in mediocrem temperiẽ πεπασμὸν appellat: & alibi omnem morborũ πέψιν, in ſuccorum alteratione conſiſtere

Gal. cõ. 4 in 6. epi.

lib. 3. epi. & com. 3. in eund. Gal.

lib. 1. epi. & com. 2. in eundẽ.

Com. 5. in 6. epid.

Com. 2. in li. 1. epid.

ſcribit. Ex quibus apparet febrium calorem à natiuo genere diuerſum eſſe, præcipuè in putridis: non ſola intenſione. Quanquàm videri cuipiam ſola intenſione diuerſus poſsit: ſaltem in diaria & hectica: vel ex Gale. febrem definiente caloris natiui conuerſionem in igneum. Et lib. method. octauo: cum adeò immodicè auctus eſt calor, vt & hominem offendat & actionem lædat. Si neutrum horum efficiat quantumuis homo ſit nũc, quàm ante calidior, nondum tamen febris eſt. Sed hæc diſputanda Arabicæ familiæ ſectatoribus huiuſmodi problematum ſtudioſis relinquamus: quibus eſt plus ocij, & ingenium argutis quæſtionibus expendendis exercitatius. Iuſtiùs inquiras an calor natiuus vitæ animalium author, & animæ cuiuſque inſtrumentum ad omnes ſuas actiones obeundas, principaliſsimum, in temperamento conſiſtit: aut ſit quidpiam diuinius ſupra elementarem naturam, in ſpiritibus ceu ſubiecto, fomento, & vehiculo, conſiſtens. Præſtiterit autem explicare calidum innatum, aph. 14. libro 1. & naturam, id eſt, calidum innatum, aph. ſequente, non qualitatem ſolam hoc eſt calorem ſeu caliditatem, ſignificare: ſed ſubſtantiã calidam: vt Galen. in eum aph. ſcribit: & comment. 4. in 6. epid. imo aëream, & aqueam, & bene temperatam. Commenta. in aph. 14. 1. Alibi autem ſcribit, calidum innatum eſſe ſubſtantiam facultatis vitalis: alibi, calidum innatum, aut animam eſſe, aut primum & principaliſsimum animæ inſtrumentum: alibi, calidum inſitum eſſe operum naturæ efficaciſsimum, ex Hippocrate. Eſt autem calor natiuus in animali duplex: fluens vnus, alter fixus. Fluens à corde per arterias cum ſpiritu & ſanguine, ſuis vehiculis & pabulis continenter, in partes ſingulas differtur, vt partium ſingularum calorem natiuum fixum foueat atque recreet. Idem in mœrore, metu, verecundiæ initio, frigore, acceſsionum initio, in ſomno intrò cum ſpiritu & ſanguine recipitur. Ob id, per eos affectus cutis & ſubditæ illi partes frigent & pallent. Contrà in gaudio, verecundia iam vigẽte, ſtatu acceſsionũ, vigilia, ad cutim & vicinas illi partes largior diſtribuitur cũ ſpiritu & ſanguine: à quibus illę partes calẽt, tument, nitẽt, rubẽt. Calor nãq; in cute humoribus ſubiacentibus ſimilis apparet: niſi humores à di-

Aph. 16. 1

Com. 3. in 6. epid.

Com. 5. in 6. epid.

lib. 8. pla. Hipp. & Plat.

Gal. li. 2. & 4. ſa. nit. tuen. de.

ctis paulò antè affectib⁹ introcesserint. Fixus verò in partibus singulis calor, earum velut forma quædam & anima, illis vitale principium & robur impertitur. Residet autem maximè in ipsarum partium singularum spirituosa substãtia, & humido substantifico, quod pingue, crassum, lentum, multum, imputribile esse oportet, ad vitam diuturniorem: vt rectè Aristoteli visum est. Hoc verò humidum radicale seu primigenium, glutinis modo, substantiæ terræ, partes coagulat & continet. Hoc autem absumpto à calore vel natiuo, vt in senibus: vel febrili, vt in hectica marasmode: vel externo, vt igni, sole, causticis medicamentis, continuitas partium perit, & res ipsa in cinerem aut puluerem redit. In hoc vtroque calido febris omnis esse videtur: & hic vterque calor natiuus in igneum versus febrim facere præsertim diariam, & hecticam quarum sanatio est sola altera tio, & caloris ex igneo in moderatum reductio, cum in putrida, calor febrilis genere diuersus à natiuo videatur: vt paulò antè ostendi ex Galeno. Ob id, febrium ex humorum putredine accensarum indicatio nõ amplius simplex est, alteratio scilicet: sed composita, alteratio & vacuatio. Illa quæ putredinem finiat manente adhuc substantia: & hæc alterationis species, concoctio est: interdum autem sola refrigeratio & caloris febrilis extinctio intelligitur, vt lib. 4. rat. victus acutorum docet Galenus, in causi curatione per totum frigidę. Euacuatio autem, totam è corpore substantiam putrentem educit: per phlebotomen, purgationem, clysteres, vretica, hydrotica, & similia.

Libr. de long. & breu. vitæ

Cap. 89. art. medicæ.

De febrium differentiis

FEbrium differentiæ principes sumuntur primò à caloris qualitate, seu intensione & remissione, seu ratione maioris & minoris: vt mordax, acuta: qualis est bilioſa. Vel mitis & simplex: qualis diaria: vt magna, in qua plurimus est calor, aut acerrimus: vel parua, in qua paucus est calor aut remissus. Secundò à materia, in qua est febris accẽsa: vt diaria, in spiritu: putrida, in humore putrẽte: hectica in solida

parte acceſa. Tertiò à modo motus caloris. Quas triplices febris differentias à diuidendæ rei ſubſtãtia, ſeu febrili calore ſumptas & accidẽte propinquo & proprio rectè Hippocrates expreſsit libro ſexto Epidemion, his ferè verbis. Febres quædam ſunt manu mordaces, & medici tactum calore acri vulnerantes: vt bilioſæ. Aliæ verò mites & minus moleſtæ: vt diariæ. Quædam non mordaces, ſed increſcentes: vt pituitoſæ. libr. ſecundi, febr. cap. 9. Aliæ acutæ & celeres, ſed ab ipſa manu deuictæ, vt bilioſæ, quæ occurſu primo medici manum mordent: ſed poſt ab ipſius manu victus tandem calor, miteſcit, Paulus libro ſecũdo cap. 15. & 18. Gal. lib. 1. ad Glauconem. Quædam ſtatim & ſubitò & ſemper ardentes, vt cauſus æſtiuus. Aliæ ſemper debiles ac lentæ, vt epialæ. Quædam tactu ſiccæ, cum lingua principio aduſta, Hippocrates. libro tertio Epidemion, vt bilioſæ, quartanæ. Aliæ ad manum humidæ, vt pituitoſæ, ſynochi. Quædam περιφυσώδεις, id eſt, bullantes & inflatæ: vt ſynochus vterque, vel ſubulæ modo tactum medici ferientes: vt bilioſæ. Aliæ aſpectu graues, & terribiles, vt peſtilens, hectica maraſmodes. Quædam ſalſæ guſtu ægri: vt quę à pituita ſalſa. Aliæ alio ſapore humoris febrem cõmittentis præditæ. Quædam rubræ, vt ſynochus vterque. Aliæ flauæ: vt bilioſæ. Aliæ liuidæ vt melancholicæ & à pituita cruda. Aliæ cãdidæ vt pituitoſæ. Et hę ab humoris febrem committentis calore, & ſapore, & qualitate tactili, vt ſiccæ humidæ, ab accidente propinquo ipſi materiæ, in qua accenſa conſiſtit febris, ſumuntur. Ab accidente autem remoto, intermittens, continua, & vtraque quotidiana, tertiana, quartana, ſic ſemitertiana, quintana, ſextana, ſeptimana, octauana, nonana, erratica periodica, nocturna, diurna, Hipp. in Epidemiorũ. lib. 1. Aliæ febrium differentiæ à ſolutione facili, & ſcheticæ: difficili, & hecticæ dicuntur. Alię à cauſa præſente vel deſita ſumũtur, initio libri octaui methodi. A quarum ſingulis indicationes curatoriæ ſumuntur: vt in curatione audies. Item febris quædã, morbus eſt inter quam & cauſam nihil intercedit. Alia eſt ſymptoma, cuius cauſa eſt morbus aliquis: vt phlegmone interna qualis in phrenitide, lethargo, cynanche, pleuritide. Febres autem ſine ſymptomatibus, aut cum ſymptomatibus, tam

Libr. 1. ad Glauc.

grauibus, vt febre neglecta, medici ſolicitudinem ad ſe trahant, non ſunt febrium differentiæ: ſed morbi cum ſymptomatibus complicati; vt morbi morbis, ſymptomata ſymptomatibus commiſceantur. Ex his omnibus, febrium differentiis, eas maximè amplexantur poſt Galenum medici & exercent: quæ ſumuntur à materia, in qua calor ille præter naturam conſiſtit, quia maximè propriæ caloris præter naturam differentiæ ſunt, ſiue corpus ipſum cordis prehenderit: ſiue humores in ipſius ventriculis conditos: ſiue aërea cordis ſubſtantia ſola admodum incaluerit: humida verò ac ſolida corpora adhuc quidē incaleſcūt, nondum tamen incaluerunt. Has tres viui corporis partes vocauit Hippocrates ſolidas, quidem continentia: humores verò, contenta: ſpiritus denique, impetum facientia. Febris igitur omnis in aliquo horum trium accenſo conſiſtit: & aliâs ex alio incipit: ab vno profecta, ſæpe alia duo ſimul afficit. Sed cum ſubſtantia ſpirituoſa ſit tenuiſsima: ſolida, craſsiſima: humores, mediæ inter hæc conſiſtentiæ: cumque tenuis ſubſtantia faciliùs alteretur quàm craſſa, hinc fit, vt febrilis calor in ſpiritibus accendatur promptiſsimè, faciens diariam. In ſolidis partibus ægerrimè, faciens hecticam. In humoribus medio quodam modo, faciens putridam. Ad hæc à diaria in putridam promptior eſt tranſitus, quàm in hecticam. Humores quoque per febrim calefacti, ſpiritum promptiùs calefaciunt, quàm ſpiritus ipſe humores. Et ſolidæ partes accenſæ, ſpiritus & humores promptiùs calfaciunt, quàm ab his calefiant. Cùm igitur febris aliâs ex horum trium alio incipiat, ſæpe in eo non permanet: ſed alia ſimiliter afficit, & febres alias facit: vt poſt audies. Cum verò ſpiritus primi incaluerunt diariam excitantes, ſi humores quoque calefecerint, ita vt putreant, priori natura febris & nomine relicto putridam efficiunt: veluti hecticam, ſi ſolida corpora calefecerint. Si quoque humores primi incaluerunt quanquàm promptè ſpiritus ipſos calefaciant, tamen putrida vocatur, non etiam diaria, vti cum partes ſolidæ incaluerunt primæ, etiam ſi ſpiritus & humores ſimul promptè calefecerint tamen hectica dicitur, non etiam diaria, nec putrida: niſi humores ad continendum febris calorem & pu-

Lib. Method. 10.

trendum habiles etiam febrem putridam excitent cum hectica coniunctam: quæ Galeno aliquoties est visa, ac nobis: vt in Ioanne Maio Chirurgo Nosocomij Parrhisiorum publici optimo & exercitatissimo, & haud ita pridem in Maria Ioannis Barthomarij viri illustrissimi & integerrimi filia, vita dignissima: in quas febres ex diutino, & crebro, & valenti mœrore & metu inciderat: & in aliis non paucis putridam hecticæ implexam obseruauimus. Sed cum spiritus omnis animalis scilicet, in cerebro: vitalis, in corde: & naturalis (si quis est) in hepate simul accendatur, vti & partes solidæ omnes, non tamen humores simul omnes. Diaria vnica est, solùm differentiis à causa externa sumptis diuidua: & hecticæ vnica est, maioris & minoris ratione tantùm varia. Putrida verò in humoribus variis, sanguine, pituita, bile flaua, humore melancholico putrentibus varia: vt interim omittam varias singulorum humorum differentias, & varios putredinis locos ac fomites: à quibus etiam variæ febrium putridarum differentiæ nascuntur: vt in putridis febribus dicemus. *Lib. method. 10.*

De febrium causis: primùm affectricibus, deinde materialibus.

FEbrium, atque adeò morborum aliorum calidorum, effectrices causæ sunt quinque. Prima est motus vehemens tum corporis: vt labor, exercitatio, fricatio, & motus quiuis alius partium corporis, vel actiuus & voluntarius & à nobis, vel passiuus seu ab alio mouente externo: tum animi: vt cogitatio vehemens, cura, ira, mœror, & similes animi affectus, dum vehementes sunt, aut diuturni, aut crebri. *Lib. 1. febrium. ca. 4. Lib. de causis morborum.*

Quies quoque tum corporis, tum animi immodica, febres etiam per accidens excitat, vt omissa exercitationis consuetudo: quia excrementa vacuari exercendo solita retinet: & calorem natiuum exercitatione augeri solitum, languere finit: & partes solidas motu robo-

rari consuetas, velut effœminatas & imbecilles ad actiones suas relinquit. Animum quoque securitas & ocium ad ignauiam, stoliditatem & stulticiam præparat. Secunda autem est putrefactio, seu à calore externo & alieno in humore non diffiato corruptela. Caloris enim externi in putredine, natura est: totius corporis putrentis substãtiam ad corruptelam mutare. Hæc autem causa putridarũ propria est, in hisque de ea re fusiùs dicetur, diariæ & hecticæ non conuenit. Tertia est suppressio calidi effluuij. Per cutis poros nostra triplex substantia à calore natiuo dissipata diffluit: ad cuius repletionem & instaurationem necessaria est nutritio seu vacuati repletio. Ad hæc tertiæ coctionis, quæ in singulis corporis partibus nutriendis obitur, excrementum duplex: tenuius scilicet & humidius, ἰχὼρ seu sanies dictus: & crasius ac terrenum magis, sordes in vlceribus vocatum & πῶος, seu pus dum per cutis poros continenter transpirat, sana facit corpora omnia, sed ea iuuat magis, quibus quod trãspirare solet, acre, mordax, fumosum, fuliginosum est: minus verò, à quibus ex sanguine bono, vaporosum, halituosum, blandum, lene transpirat. Hoc igitur effluuium, præsertim acre, si retinetur, quia calidum est, conculcatum, & diffiari ob densatam cutim prohibitum, febres promptè excitat aut diarias aut putridas: vt post dicemus in diaria à densata cute. Quarta, contactus caliditatis alterutrius: vt ignis, causticorum medicamentorum, solis, corporis febrientis, vel etiam sine febre admodum calidi: quale est picrocholorum, & melancholia humore, ac morbo, agitatorum. Quinta, est permistio calidæ substantiæ: vt alimentorum salsorum, aut cum dulcedine amarorum, acrium, aut medicamentorum calidorum: qualia sunt aromata, medicamenta purgantia, deleteria plurima, & alia vel salsa, vel amara, vel acria. Substantia quoque calida permista temperatæ magis alteri substantiæ, eam alterando immutat, & febres excitat: vt ostendunt febres symptomata, phlegmonarum internarum omnium: & etiam externarum, quando magnæ sunt aut propè maxima vasa: præsertim dum pus in eis conficitur. De his quinque causis febrium genitricibus nos pleniùs egimus commẽtario nostro in librum Galeni de fe-

lib. meth. 11.

li. 3. meth. & li. 1. sanit. tuẽd.

bribus. Ad cauſas febrium materiales, ſeu in quibus ſubiectis calor febrilis accenditur, ſpiritus ſcilicet, humores, ac ſolida corpora, tranſire tempeſtiuum eſt. Spiritus, ſeu ſpirituoſa & aërea ſubſtantia, triplex nobis ſtatuitur: animalis, in cerebri ventribus quatuor præcipuè: ſed & in tota cerebri ſubſtantia: & per vigilias, etiam in dorſali medulla & neruis, puritate, copia, ſplendore, tenuitate & horum contrariis diuerſa & ob id magis & minùs inflāmari apta. Quæ affectiones etiam vitali ſpiritui in cordis ventribus præcipuè, & arteriarum capacitatibus contento, ſed etiam in ipſo cordis & arteriarum corpore, ſunt cōmunes. Cum etiam ipſum animalem ſpiritum vitalis ipſe, per arterias carotidas in plexum retiformem elatus, ibique coctior, & purior, & ſplendidior, & tenuior effectus, nutriat non ſolus aër inſpirando per nares in cerebrum attractus. Qui etiam vitalem nutrit, ventilat, refrigerat, & temperat, qua ſui portione maiore inſpiratus in pulmonis aſperas arterias & carnem trahitur: ibique elaboratus per arterias venoſas in ſiniſtrum cordis ventriculum: magis ſpirituoſum, corde dilatato rapitur, & vnà cum ſanguinis vapore fit familiare calidi innati alimentum. Sic & naturalis (ſi quis eſt) ſanguinis, ſed adhuc craſsioris, ſeu vapor quidam eſt in hepatis carne, & venis omnibus multus, propinquū ſpiritus vitalis alimentum. Vt ſit, quomodo facultas naturalis in hepate, ſita, omnium prima & reliquarum baſis, animalis in cerebro omnium poſtrema tempore, & natura, ſed dignitate prima: vitalis in corde ambarum media ſitu, tempore, dignitate: ſic & ſpiritus ipſe (in cuius, & partis ſolidæ, & humorum temperamēto eſt facultatis, eſſentia) animalis, vitalis naturalis eſt varius: febríſque incipit aliàs à naturali magis, vt ab inedia, ſatietate, ebrietate: aliàs à vitali, vt in ira, furore, mœrore: aliàs ab animali, vt in vigilia, cura, cogitatione: ſed mox in ſpiritus alios inuadit. Id mihi veriùs ex dictis apparet quàm in ſpiritu ſolo vitali, & eo fluente, febrem collocare. Ad ſpirituoſam ſubſtantiam, flatus: humorum quoque veluti vapor quidam, ſed ferè impurior, craſsior, turbidior reduci poteſt: ſiue is eſt à materia quauis calfacta genitus in nobis, ſiue ab externo flatu, aut alimento flatulento excitatus: & aut

quietus,aut motus per cauitates tum ſenſui manifeſtas, vt cerebri ventres,& cordis,& pulmonum, vētriculi, inteſtinorum,veſicę,vteri,venarum,arteriarum capacitates:tum ſenſui occultas, vt quæ ſunt in ſpatiis inanibus inter partes ſimilares,& neruorum ſpiraculis.A quo motu fiunt in quibuſdam murmurilla,ſtrepitus,ructus,crepitus,efflatus: ſedis,vteri,veſicæ,cordis & partium aliarum quarundam palpitationes. Porrò his flatibus non diffiatis, ſed diu in parte calida cōcluſis,vti interdum & ſpiritibus per febres quaſdam peſtilentes, quandoque putredo aduenit: quàm graueolentia declarat.Corpora autem ſolida,& partes corporis omnes,ſimilares ſunt: exceptis ſpiritibus,& humoribus: &,ſi vis,excrementis (quæ tria etiã Ariſtoteles partibus ſimilaribus accenſet.) Hæ verò ſunt Galeno oſſa, cartilagines,ligamenta,villi corporis cordis:neruorum,in muſculis:ventriculo: veſica: vtero: venis: arteriis: & aliis quibuſdam.Caro ipſos villos ambiens & muniens:in corde,muſculis:& ſua quædam caro neruoſis partibus dictis. Caro item viſcerum,cerebri,cordis,pulmonum, hepatis, lienis,renum: adeps quoque,& membranarum genus plurimum:& glandulæ,vaſorum diuiſionem explentes, quibus & alias actionis alicuius opifices addere potes: in faucibus,ad aſperæ arteriæ initium: in mammis, in pancrea, in teſtibus.Venas quoque,& arterias,atq; etiam muſculos partes re vera compoſitas,Galenus interdum ſimplicibus adnumerat:quòd minimum ſint compoſitę,& ſimplicibus propinquæ:præſertim venæ,& arteriæ.

Libro 3. hiſt. ani. capi.

De his omnibus abundè ſcripſimus primò noſtro de re anatomica commentario.

His etiam putredo interdum accidit per phlegmonas, & quoſdam tumores alios,per gangrænas, ſphacelos, abſceſſus, vlcera propè infinita: per ſumma quædam frigora,extincto illarum calore natiuo partes ipſas viuificante, & conſeruante.

De humoribus quatuor ſanguine, pituita, bile tum flaua,tum atra reliqua febrium materia ſubiecta, iam nobis pleniùs dicendum eſt: vt clariùs febrium differentiæ cognoſcantur: & ipſæ febres cauſam adhuc præſentē habentes certiùs,& tutiùs curentur.

De Sanguine.

Anguis interdum ſyncerus, & ſolus, ab aliiſque humoribus ſecretus (id quod in animalis ſanguine prædicti corpore etiam ægrotante rarò cernitur) intelligitur: aliquando & quidem frequentius cæteros humores ſecum cõplexus: qualis ferè ſecta, tum vena, tum arteria vel aliter aperta excernitur. Et dicimus partes corporis omnes ex eo ſanguine, & conflari & nutriri, ſanguineas, ſcilicet & rubras, nullius interuentu: ſed primò & per ſe: ſpermaticas verò & albas, intercedente ſemine: cui vt lacti origo eſt omnino ex ſanguine à partibus ſpermaticis, & mammarum glandibus alterato & dealbato. Sic & Gal. com. in 2. lib. 6. epi. ſanguinem inquit bifariã dicimus: interdum ſyncerum & à ſero, pituita, bile vtraq; ſecretum: interdum permixtum aliis humoribus: vt cum dicimus vacuatum eſſe ſanguinem, nunc ſeroſum, nunc pituitoſum, nunc bilioſum, nunc melancholicũ. In hoc ſanguine ineſt pituita dulcis, & ſemicocta, quæ tẽporis proceſſu per coctionẽ in ſanguinẽ tranſit. Ineſt & bilis pallidæ aut flauæ, ſed naturalis & benignæ portio, ac etiam humoris melancholici: vt conſtet partibus omnibus temperamẽto maximè variis & quantitate. Sanguinis enim portio plurima, deinde pituitæ & ſucci melancholici, bilis pauciſsima. Ex hoc alimenti promptuario, ſanguine ſcilicet, alimentum familiare, hoc eſt, quibuſdam ſanguineum magis, aliis pituitoſius, aliis bilioſius, aliis melancholicum & terreũ magis trahitur. Cùm autem ſanguinis generãdi cauſa ſit animalium calor temperatus, & idem modicè humidus, ſanguis calidus, & humidus poteſtate ſiccus dicitur vt flaua bilis calida, ſicca, quãtumuis ſit aſpectu humida. Hippocrati autem ſanguis calidus natura non eſt: cùm in mortuo animali calorem non retineat etiam ſi humores alij temperamentum retineant: pituita, ſcilicet frigidum humidum: bilis vtraque calidum ſiccum: humor melancholicus frigidum ſiccum, vt videri poſsit in viuo animali miſtum aliquid eſſe ſanguini cuius occaſione calidus ſit. Eſt autẽ id

Gal. libro de natura hominis.

Gal. libro vſus partium. & 2. facult. nat.

Fine lib. de corde.

ſpiritus triplex: naturalis, vitalis, animalis ſanguini miſtus, & in eo ſpiritu ceu vehiculo & pabulo calor. Quapropter ſanguinem, ſpiritum, calorem natiuum hunc ſimul moueri ſcribit Galenus nunc foris, intro, vt initio acceſsionum, verecundiæ, per ſomnum, metum, mœrorem, nunc intus, foras in augmento & ſtatu acceſsionum verecundiæ vigilia, gaudio, æſtu, balneo laconico & id genus aliis. Vnde fit, vt animalia ſanguinata exanguibus ſint calidiora & partes corporis noſtri quantò plus habent ſanguinis, tantò plus habent & caloris. Sanguis fit à calore moderato ventriculi, & hepatis. Pituita, & humor melancholicus, ab imbecillio. Bilis flaua & atra ab immodico, ſic certè habet humorum generatio: quod ad cauſam effectricem attinet, vt oſtendunt animalium temperamenta, ætates, vitæ conditiones, aër per anni partes, regiones, cœli ſtatum. Tamen ad horum quoque humorum generationem, magni eſt momenti partium in quibus hi gigni incipiunt & perficiuntur, ab excrementis puritas, & corruptela ſæpè multiplex, in horum vel horum humorum generationē propenſior. Ad hæc alimenti natura ſanguini, vel alteri humori gignendo opportunior. De quo poſteà. Hinc dulcia à temperato calore in ſanguinem bonum & multum abeunt: eadem & his magis, ſalſa, amara, acria, in picrocholis promptè in bilem vertuntur à calore intenſo: vt à calore vel ſuo, vel alieno, mel citò amareſcit: tardiùs vinum, & lac, & caſeus, & alia plurima. Eadem dulcia in ventriculo frigido, & hepate in pituitam aut crudiorem ſanguinē abeunt. Quin & ipſius alimenti quantitas ad huius vel huius humoris generationem nō leuiter confert: vt vinum, quamuis poteſtate calidum & ſiccum, tamen, ſi largiùs ſumatur, pituitam & affectus frigidos, epilepſiam, apoplexiam, paralyſin gignit. Naturarum quoq; proprietas quædam eſt, quæ ſola experiētia cognoſcitur, humoribus quibuſdam gignendis aptior: vti & partium cachexia. Adde his quoſdam aſpectu, & habitu planè pituitoſo, bilem tamen largam genuiſſe: vt teſtatur Galenus.

Gal libro 2. de facul. nat.

Libro 4. ſimplic. cap. 17.

Gal. libro 3. temperamentorum.

Lib. artis medicæ cap. 74.

Quanquam ergo hic calor multùm poteſt in humorū generationem, tamen in eo non ſunt omnia, ſed alimenti natura etiam obſeruanda. Quòd autem multùm poſsit, indicio

dicio eſt bilis multæ generatio,in calida,& bilioſa natura, ex dulcibus omnibus, non tantùm perfectè dulcibus: vt melle,ſaccharo, glycyrrhiza: ſed etiam parum dulcibus, vt lacte:quod ob id febricitantibus vehemẽter negat Hippocrates:imo & ex minimum dulcibus, ac certè inſipidis: vt aqua quam promptè in bilem verti, Hippocrates idem author:dum ſcribit in bilioſo natura homine bilioſam eſſe,& amareſcere,& ſitim excitare. Cùm ſcilicet eius calor, per febrem aliquam vehementem,& ardentem, omnino igneus euaſit. Non enim ſemper in bilem vertitur aqua, in ventriculo calidorum. Quod etiam indicat Hipocrates, dum calidæ naturæ, refrigerationem conſulit, per aquæ potionem,& quietem,& alia ſimiliter refrigerantia & humectantia:tum per ſe,& primò,vt aquã:tum per accidens, vt quietem. Quomodo enim ignis æquè propinqua ligna ex æquo calefacit:ſed rara,tenuia, aërea, incendit citiùs, quàm craſſa,denſa,frigida,humida:vt ligna viridia, albumen, ſalamandram. Et ſol omnes ſibi expoſitos ex æquo calefacit:non omnibus tamen febres diarias,putridas,hecticas,coryzam,catarrhum,cephalalgiam excitat:ſed affici paratis,quæ cauſa magni eſt momenti Galeno ad morborum generationem. Sanguis autem optimus ac pulcherrimus multùm rubet,præſertim in venis.¦Nã ab arteriis fluens,flauior eſt,vti & calidior: cùm in venis ſit tẽperatior. Dulcis preterea eſt,quia fit à calore temperato:& craſsi ac tenuis eſt medius. Sanguis tam venarum, quàm arteriarũ, extra vaſa effuſus aut foras,aut in aliquam corporis capacitatem,vt aſperas arterias,thoracem, ventriculum, inteſtina,vterũ,veſicam:ſubitò propter fibras cõcreſcit in grumos:cũ nullus ex cæteris humoribus extra corpus concreſcat. Eſt autẽ ſanguis interdũ flauior,& bilioſior:interdum ater magis & melãcholicꝰ aquoſa, & tenui humiditate miſtus,quæ in ſuperiorem vaſis regionẽ ſecreta, cõcreſcente effuſo ſanguine,effertur. Eſt cùm pituitoſus humor ei miſcetur. Fit quoq; & ſanguis craſsior,& nigrior,pici liquidę ſimilis. Alius quoq; humor ſanguini craſſo, & nigro ſimilis:qui vomitu, & deiectione reiicitur:neq; vnquã concreſcit:quantũuis diu in aëre verſetur:quem vomentes,acidũ & acerbum ſentiunt. Interdum tamen inſipidum. De quo

Lib. 4. de rat. vic. acutorum in aqua.

Lib. 6. epi.

Li. 1. feb. ca. 6. Gale. li. de atra bile.

Lib. 4. sanit. tuend. fusiùs in atra bile. Sanguis autem salsus, vt pituita salsa, vel amarus, vel alio sapore quàm dulci præditus, vitiosus, ac morbidus est. Sanguis ergo bonus, in medio est succorum crudorum seu à natura non percoctorum, & bilioforum. Illi autem ex sanguine nondũ perfecto fiunt: hi ex sanguine supra iustum modum percocto: ratione maioris, & minoris in vtroque spectata. Nã priusquàm ad exactum sanguinem, nutrimentum perueniat: alij sunt succi velut semicocti: alij prorsus incocti, & crudi: alij paulum absunt à sanguinis forma: alij sanguificationis velut pars vltima sunt. Et qui excessu caloris proueniunt ex sanguine succi, alij paululũ, alij plus, alij plurimùm à sanguine ad bilem flauam receſſerunt.

Sanguinis largioris causæ.

Gal. cõ. 3. lib. 3. epi. & lib. 2. facul. na. Alor noster, vbi naturalem seruat temperiem, plus sanguinis quàm aliorum humorum facit. In igneum versus, flauam bilem: imbecillior, pituitam facit. Calor temperatus ventriculi, & intestinorum, & venarum meseraicarum, chylum temperatum proximam sanguinis temperati materiam, hepati temperato suppeditat ex alimentis mediis, & temperatis, vel natura (qualia sunt admodùm pauca) vel arte nostra, & mistione varia contrariorum. Temperatura corporis totius, aut saltem hepatis, & cordis, inculpata & media: vel calida temperate & humida ad coquendum aptissima adolescentia sanguinis boni plurimùm fœcunda. lib. 1. prog. 37. & lib. 3. prog. 14. & apho. 27. & 30. lib. 3. Vernum tempus, Hippocrati lib. de natu. hominis, & aphor. 20. 3. Victus ratio temperata, Galeno scripta: libris primis sanitatis tuendæ: & calida modicè, & humida plenior, euchyma, polyphæma: in sumendis, vt cibo, potu: in faciendis, vt conditione vitæ libera, hilari, parum anxia, cum exercitatione tempestiua, & moderata, & somno mediocri, aut paulò longiore: in educendis, vacuatione sanguinis spontina, vel medica, intermissa. Lac optimum, si bene coquatur nutrit abundè & succos bonos

Gal. libro 3. alimẽt.

gignit:quãquam id temperatum non eſt,etiam ab animali temperamento. Nam in glandulis mammarum natura exanguibus, ob id frigidioribus, veluti recrudatur: & fit medium inter pituitam & ſanguinem,ex quo procreatum eſt:ſanguini tamen quàm pituitæ propinquius, ſed tantò ſanguine frigidus: quantò glandulæ illæ hepate ſunt frigidiores. *Lib.3.alimen.& aph. 4.libro 5. Gal.com. in aph. 40.lib.5. li.5 ſimp. cap. 21.*

Panis ſilignites, & proximus illi ſemidalites benè fermentatus, modicè ſalſus, probè piſtus,coctus mediocriter in clibano..

Suum ætate florentium, aut etiám adoleſcentum exercitatorum, & pabulis idoneis nutritorum caro elixa optimè, & in ventriculo percocta. Huic propinquus ſanguis ſuum eorundem,& hepar,præcipuè ficatum, nutrito ſcilicet porco ficubus. His accenſe veruecum ætate florentium,pabulo ſicco nutritorum carnem: & vitulorum, & capreolorum, & adoleſcentium cuniculorum, & lepuſculorum, ceruorum & aliorum eius generis nondum per ætatem ſiccatorum immodicè.

Volatilium in aëre puro & libero exercitatorum,& bene educatorum caro:vt gallinæ,gallinaceorum, phaſianorum,perdicum,attagenum, id eſt, francolinorum adoleſcentum, columbarum, turdorum, turturum, merularum paſſerum,& auicularum ſylueſtrium,& campeſtrium: vt alaudarum,coturnicum Piſces ſaxatiles, & gobio littora arenoſa & ſaxa incolens:aſellus,mugil,mullus,lupus,ſi pelagij tantum ſunt aut circa littora arenoſa viuunt.

Aliorum quoque animalium,tota ſubſtantia per experientiam cognita,nobis familiarium carnes molles, ſimul & friabiles, ſeu lentoris expertes.

Vinum rubrum,ſubcraſſum, multo ſanguini gignendo eſt aptiſsimum:cum minima egeat mutatione, vt ſanguis fiat:maiore tamen quàm igneum & medium colore & cõſiſtentia.

Quin & cibus omnis ſuccum craſſum & lentum gignẽs, bonum quoque & diuturnum ſanguinem generat:ſi probè in ventriculo & hepate coquatur.Si verò non rectè coquatur,obſtruit & putreſcit, ſic ſuilla plurimum & diu nutrit. Sanguinis largioris ſigna,præter dictas nuper cauſas.

Sanguinis dulcis prõpta reiectio per deiectiones, hæmorrhoidas, menſes, vrinas, ſputa, nares: & facilitas tolerandi etiam multam hæmorrhagiam. Tenſio vaſorum omnium plenorum etiam in oculis manifeſta: præcipuè cal facto corpore maximé. Calor cutis totius blandus, mitis, halituoſus, venæ autem prominentes & liuidæ, ſanguinis craſsi & pici liquidæ ſimilis, in ſuppreſsis menſibus, copiam indicant Galen. commentar. 3. in 6. epid. Quibus item exercitatis aut aliter calfactis vires ſunt mediocres, & ſanguis bonus, corpus rubeſcit: quibus verò imbecillæ, & ſanguis vitioſus, palleſcit corpus aut liueſcit. Galen. commẽ. 3. in 6. epid. Pruritus, quo loco eſt aliquando ſecta vena. Carnoſum corpus ſine multo adipe: lib. 2. temperamentorum. Multi tamen ſummè graciles multum habent ſanguinem. Gale. comment. 3. in 6. epid. & aph. 44. lib. 2. Graciles in venis, & arteriis multum habẽt ſanguinem, & ſpiritum, & calorem natiuum, ſed ob carnis penuriam cauſis externis expoſiti, calfacientibus, refrigerantibus quaſſantibus minus vitales quàm benè carnoſi.

Color faciei & corporis reliqui rubicundus, roſeus, floridus, ſeu ex albo & rubro miſtus ac ſplendens ſanguine, ſpiritu, calore bono. Oculorum, cutis, & linguæ color humorem redundantem indicat.

Hipp. li. 6. epid. & Gal. cõ. 4 & 5. in eund. & cõ. 3. in. 3. epid.

Nam rubra lingua ſanguinem, viridis bilem, nigra atrã bilem, alba pituitam indicat. Et aliæ partes duæ ſimiliter. Sed oculi & linguæ color, ipſarum partium humores, non totius ſemper indicat. Color autem in cute efflioreſcit ſimilis humoribus ſubiectis: niſi introrò receſſerint.

Lib. 2. & 4. ſanit. tuenda.

Vrina craſſa, rubra, multaque ſuccorum tantùm in vaſis abundantium nota eſt, ſudor autem multus, lutum & virus olens ac hircum, in calida & humida natura. Dulcis autem eſt ac ſuaue olens, ſi bonus eſt ſanguis.

Is verò ſudor ſuccorum in toto corpore redundantium nota eſt. Pulſus magnus, velox, frequens, plenus. Pulſatio in temporibus valida. Laſsitudo ſpontanea, tenſiua, oſcitatio, pandiculatio, nauſea, grauitas capitis & oculorũ. Morbus à ſanguine multo conſuetus, & frequens: vt phlegmone, ſynochus putris & non putris, exanthemata ſanguinea toto corpore, lib. ſecund. ad Glauconem.

A calidorum humidorum vſu multo læditur : iuuatur à contrariis,& temperatis.Sõnus facilis,& placidus,& moderatus.Somnium frequens rerum iucundarum, rubrarũ, hæmorrhagiæ, natationis in dolio ſanguinis pleno . Viſa enim per ſomnium à ſanis & ægris plerunque humorum copiam,inopiam,qualitatem declarant. Gal. lib.de diuinatione per ſomnia:& Hippocrates lib. de ægrorum ſomniis.Morum ſimplicitas,& ſtupiditas:Gal. lib.de natura hominis:& ſenſus impediti, cogitatio tarda,iraſci tardus.Liberalis autem,hylaris,facetus,ridibundus,iucundarum rerum & hominum amans,interdum vinoſus, cupediuorus, libidinoſus.

De pituita.

Lib. 2.fe.

Φ Λίγμα, contrà ætymologiæ rationem , eſt pituita ſeu omnis humor in nobis frigidus humidus.Eius differentiæ ſunt tres, à ſapore eam expuentibus percepto appellatæ:dulcis(quę minimum frigida eſt: vt ſaporis dulcis natura oſtendit)acida,ſalſa.Sub acida autem comprehenditur humor crudus ſeu pituita,Praxagoræ vitrea ob id dicta,quòd vitro fuſo ſit colore & conſiſtentia ſimilis . Nobis autem rectiùs albuminea vocatur : quòd albumen res ſit omnibus nota & eius conſiſtentiam, colorem, facultatem retineat:hæc pituitæ ſpecies,cum vitrum fuſum paucis videre contingat,& mox à frigido coaguletur : & dum eſt fuſum,ſit cauſticũ.Humor verò hic crudus omnino frigidiſsimus eſt,& craſſus: & mora in nobis longa, lentus, graueolenſque euadit:tunc puri tam ſimilis vt ægrè in purulentis auribus & deiectionibus & vrinis à vero pure ſeparari poſsit: ob id etiam tunc puris appellatione veniat. Hic humor colicum dolorem Galeno excitauit, terebello perforanti,aut palo impacto ſimilem(frigidum enim continuum ſoluit diuellendo)aut nephritico : quia è regione renum vexabat colũ:ſed vi olei rutacei clyſtere iniecti excretus,adhuc frigidus ſentiebatur . Hic humor per partes ſentientes motus, tantum horrorem ſine febre excitat in

φλίγματος ſtio. Li.4. rat.vic.a. cut.li. 4. ſim.medic cap. 10.

Li.loc.af. cap. 1. lib. 4.ſim. cap. 1. lib.2.feb. cap. 6.

De his posteà in febribus pituitosis.

mulieribus sæpe victu inordinato vtentibus, & in viris crapulosis & ebriosis. Si verò moueatur & moderatè putreat, epialam febrem excitat: in qua, singulis corporis partibus, toto morbo: & horrent, ab eius portione nondum putrente: & calent, à putrente. Sin magis putrescat, initio horent: deinde, victo per calorem frigore, febricitant: sic vt in augmento, multò magis in statu, cesset omne horroris & frigoris vestigium. A dulci autem pituita febricitantes, accessionis initio tantùm frigent. A salsa verò per putredinem, aut salsæ & serosæ humiditatis, lotium & sudorem facientis, mistionem genita febricitantes initio accessionis horrent. Pituita verò insipida quibusdam dicta, aliis aqua, quod aquæ colore, odore, sapore, consistentia viribus sit similis, eamque vacuantia cathartica, Dioscoridi & Galeno ὑδραγωγὰ vocantur: vt pituitam purgantia φλεγμαγωγά. Sed tamen pituitã naturalem, qualitatis seu saporis & odoris & coloris expertem, vt aquam scribit Galenus: & vtramque dulcem sæpe appellat: quod tempore dulcem qualitatem assumit.

Initio lib. de atrabile.

Lib. 2. facul. nat.

Dicitur eidem etiam alba vt aqua, pura, argentea. Illa foras effusa non concrescit: & naturali qualitate mutata, tum salsa, tum acida redditur. Pituitæ enim quod dulce est, id salutare est animanti, & naturale, & quantum eius in venis fertur, cum sit animalibus ex vsu, id nulla vacuatione eget. Quæ verò in ventriculo & intestinis creatur pituita, commodissimè & celerrimè à bile in ecphysin effusa, vacuatur.

Lib. 1. de ment.

Salsa verò pituita computruit, acida autem omnino cruda est: cruditate, quæ fit in coctione, non prima in ventriculo, sed secũda quæ in venis: sine qua coctione, ne succus quidem esset.

Lib. 2. facul. nat.

Pituitosus ergo humor in ventriculi coctione, quæ prima statuitur: ex cibis aut multis, aut pituitosis genitus succus nondum est: qui tamen coctione secunda in hepate & venis est dulcis genitus in sanguinem tandem mutatur.

In quo hepate etiam bilis vtraque cum sanguine generatur: ob id natura nullum pituitæ receptaculum, ad sanguinis purgationem condidit: vt serosa excremento, &

bilioſo, veſicas: melancholico, lienem, quia frigida & humida, & velut ex dimidio coctum alimentum, deſidera non vacuari: ſed in corpore manens alterari. Quin & cerebrum natura aptum eſt ad generanda pituitoſa excrementa. Refrigeratum enim non poteſt alimentum conuincere, ob id pituitam generat. Pituita autem à frigiditate pauca quidem, dulcis & inſipida: forti autem, acida. Salſa autem fit à caliditate caput replente. *Gal. aph. 12. lib. 3.*

Pituita autem à capite in ventrem defluens facit dyſenteriam. Hæc Galenus. Excrementum autem quod à cerebro deſtillat, fortaſſe nec pituitam quis rectè appellet: ſed mucum & coryzam. Quin & ſuccos crudos, à pituita vitrea: & vtcunque, pituita publicè vocata ſeparat Galenus. Nam crudi ſucci, quanquàm de genere ſint pituitæ, tamen ea minùs ſunt humidi: & plerunque carent lentore: qui ſi adeſt, ſuccus eſt vitreus, Praxagoræ dictus: inſigniter frigidus, ſed minùs craſſus, quàm crudus per eminentiam dictus: qui calorem in cute nunc plũbeũ, nunc liuidũ nunc ex albo & liuido miſtũ exhibet. *Lib. 2. facul. na. ad finem. Lib. 4. ſanit. tuendæ.*

Succus ergo crudus propriè dictus, eſt frigidus & craſſus. Pituita autem ſuccus quanquàm crudus eſt ac frigidus, non tamen craſſus: quia humiditatem multam habet, & ſpiritum flatulentum. Succus quoq; crudus propriè dictus, talis eſt, quale quod in vrinis ſubſidet puri ſimile aliquando, ſed pus graueolens eſt, ac lentum. Succus verò crudus caſitie & colore tantum, puri ſimilis: neq; graueolens, neq; lentus. Alibi lentorem ei Galenus tribuit. Succus crudus omnino craſſus eſt, non tamen perpetuò glutinoſus. Humor item crudus cum lentorem accepit in meatibus per renes anguſtis, quod craſsiſsimum eſt & maximè lentum, ibi diutius moratus, calculos gignit. *Lib. 14. aliment. Lib. 4. ſanit. tuẽdæ. Lib. 1. alimen. in pa ne eloto.*

Ergo & lentorem tandem accipit: & ex putredine, graueolentiam, quando à pure ægrè, vt ante dixi, ſecerni poteſt.

Pituitæ largioris cauſa.

CAlor imbecillus ventriculi, inteſtinorum, venarum meſaraicarum, chylum incoctum aut ſemicoctum, hepati & cordi præſertim frigido, ſuppeditans ex alimentis frigidis humidis vel natura, vel præparatione, vel alia.

Nam primæ coctionis errorem, ſecunda: ſecundæ, tertia non correxerit. Temperatura frigida humida: vel natiua, cum vaſis exilibus: vel acquiſititia, infantia & pueritia, ex victu immoderato & motibus inordinatis, ſenectus frigida & excrementis humida.

Hybernũ tempus, & aër quiuis frigidus humidus, Hippocrates libro de natura hominis: & lib. 3. aph. & aër ne-
Gal. cõ. 1. in lib. 1. epid. buloſus & caliginoſus, in pituitoſa natura. Idem quoque ſpiritum noſtrum innatum nebulæ & caligini ſimilem efficit: vnde Auſtri caliginoſi dicuntur. Sanguinis immodica vacuatio, vel medica, vel violenta, vel ſpõtina: cui ſuccedit hydrops vti & ſanguinis ſuppreſsioni intempeſtiuæ. Hipp. 6. lib. aph. 12. Vitæ conditio ſedentaria, ſomnus longus, balneũ, præſertim à cibo. Vtrunque & motus vehemens tum animi, tum corporis.

Victus ratio frigida humida, vel etiam temperata, ſed pleniſsima etiam ex vino genoroſo, ſed largiſsimo, pituitam & morbos frigidos, paralyſin, apoplexiam, epilepſiã excitans vt dixi. Gal. libr. 3. temp. Alimenta autem pituitoſa magis, hæc ferè ſunt. Panis ſilignites & ſemidalites, parùm & fermentatus & piſtus, non ſalſus, malè in clibano & ventriculo coctus, ſanguinem craſſum & lentum & euaporatu difficilẽ, vt ſuilla in athletis & aliis valde exercitatis & robuſtis, generat: in nobis verò non ita robuſtis, nec adeò exercitatis, humorem crudum: craſsitie quidem & colore puri ſimilem: ſed nec lentum nec graueolentem niſi mora in nobis longiore lentus & graueolens ex putredine (vt paulò ante dixi) euadat. Talis humor vterque, in vrinis ſanorum & ægrorum ſæpe ſubſidet. Talem quoque magis gignunt panes azymi, & opus piſtorium, & triticum in aqua elixũ: & alica ſeu ptiſſana triticea ſine ace-

to, ſale porro cocto, anetho elixa. Vuæ etiam non ſatis maturæ, nec bene in ventriculo coctæ, in hepar, in venas diſtributæ ſuccum crudum gignunt qui nonin probum ſanguinem mutatur. Sic rapa vſu largo, & malè in ventriculo cocta: bulbi, tuber, fungi, maluæ, partes animalium neruoſæ: vt pedes, roſtra, aures, ventriculus, inteſtina, limaces, glandulæ duræ non coctæ: mollia: vt ſepiæ, polypi, Cetacea: vt thumni, delphini, balenæ, cruſtatorum, & teſtatorum caro. Fructus frigidi humidi: vt mora, ceraſa, perſica, pruna, poma, attriplex, blitum, portulaca, lactuca, cucurbita, cucumer, phaſeoli, niſi prima ſumpta ſtatim per aluum deſcēdant, & excernantur. Porcellorum & agnorum caro, glandulæ humidiores, cerebrū, dorſalis & oſſalis medulla, pinguedo, pulmo, ouorum albumē. Lac omne, præſertim animalium frigidorum humidorū. Piſcium magna natio, præſertim non ſatis exercitatorum, nec puris alimentis, nec euchymis vtentium, in aqua vitioſa degentium: vt anguilla, cyprinus. Vinum nouum, pomatium, piratium, aqua, cereuiſia aquoſior & crudior. Neglecta conſuetudo pituitam purgandi, per phlegmagωga, digerentia, hydrotica, vretica, motum, laconicum balneum. Vſus quoque frequens medicamentorum opium, vel meconium recens habentium, vel alia nacortica. Exercitatio aut nulla, aut mox à paſtu, præſertim pleniore. Somnus diu turnus, præſertim mox à paſtu largiore. Balneum aquæ dulcis frequens, diuturnum, mox à paſtu, aut etiam inter paſcendum: quæ conſuetudo hîc eſt mulieribus quotidiana.

Ad pituitam reduci poteſt ἰχώρ, ſeu ſeroſum & aquoſum excrementum, quod per vrinas ſudoreſque vacuari debet, & miſſo ſangnini ſupernatat: quod multum excitant in nobis, ſequentia. Fructus frigidi humidi: olera hortenſia frigida humida, aquoſa quam plurima, aqua, vinum album, tenue, & cauſæ propè eædem quæ pituitam pepererunt. Signa autem huius, ſunt: corporis tumor œdematodes: ſeri multa vacuatio per ſaliuam, vomitum, ſedem, vrinas aliquando & ſudores. *Gal. cō. 2. in lib. 6. epid.*

Tamè vt lactis ſerum eſt maximè varium: ſic ſanguinis, & aliorum humorum ſera, inter ſe differunt pro humorum natura. Nam atræ bilis ſerum moleſtiſsimum eſt: mi-

nùs'moleſtum,flauæ:mitius,pituitæ:mitiſsimũ, ſanguinis.

Si verò ſerum corrupti ſanguinis, aut prauialicuius humoris,in vaſis ſanguineis contineatur:deſipientias, phrenitidem,manias excitabit:vt pituitæ ſerum, timiditatem, quia pigrum eſt & frigidum,non mordicans, neque malignum:niſi per corruptionem acre & ſalſum fiat. Tũc enim etiam vigilias,& turbationem,& animæ motionem timoris plenam facit. Ad pituitam quoque, flatus à calore imbecillo gigni ſoliti,reducendi: quod ab ea calefacta,& in vaporem mutata, fieri ſolent in ventriculo frigido humido, ex alimentis frigidis humidis & flatulentis ob id appellatis,quòd intra ſe ſubſtãtiam habeant flatibus gignendis expoſitam, & ſæpe vix expugnabilem.

Quanquam & cauſa calida ex pituitoſa materia etiam flatus ſæpe excitat: vt in doloris colici curatione docet Galenus libro methodi duodecimo. Vbi humor frigidus, craſſus,lentus,colicum dolorem creat:valenter calefacientia ſumpta, iniecta, admota, humorem liquant, & in flatum mutant: niſi prius tenuentur, incidantur, coquantur.

Flatus largioris cauſæ,præter cauſas pituitæ iam dictas.

RIticum in aqua elixum hordeum,niſi longa coctione, quantum tumere natum eſt,intumuerit.Faba quantũuis cocta: niſi addita cæpa, hyſſopus, ſatureia, & alia acria, flatulentam ſubſtantiam tenuarint, & diſſiparint.

Gal.li. 5. ſim.ca.23

Piſa minus quàm fabæ: cicer æquè vt fabæ. Ficus, quàm vuæ,minus diuturnos flatus excitãt: & minus, quàm cæteri fructus autumnales: & quàm omnes horæi ſeu fugaces. Caſtanea, rapa: præſertim cruda: bulbi, paſtinaca, & alia quæ ſemen augent ac promouent.

Sorbitio,quæ inſpirando ſit,multùm quoque flatuum iuribus miſcet.

Pituitæ largioris ſigna, vltra dictas modo cauſas.

Pituitę vel inſipidę, vel dulcis, vel acidę vel ſalſę, prõpta & multa & innoxia vacuatio, per aures, oculos, nares, palati foramina, ſputũ, vomitũ, deiectiones, fluores albos mulieribus & viris communes: ſed illis, per vterum & veſicã: his per veſicam, per ſudores acidos, vel aliam ſaporis qualitatem redolentes: vtriſque, habitudo etiam corporis obeſior.

Corpus graue, facies tumida, lingua alba, mollis.

Corpus totũ albicans, molle, tactu frigidum, ſitu obſitũ.

Color autem plumbeus, liuidus, ex albo liuidus, crudũ ſuccum pituitæ ſpeciem, ſignificat. *Lib. 4. ſanit. tuẽd.*

Saliua dulcis, inſipida, acida, ſalſa, multa in ore, mucus multus per nares, palatum: ſaliua ſtomachi, cum ſputo multo, aquoſo. Coryza, branchus, catarrhus in pulmones, & corpus reliquum frequens: appetentia deprauata, vt canina, vel acidorũ, acrium: ſed coctio tarda, ructus acidi, nauſea ſumpto cibo, & grauitas maior. Deiectio pituitoſa, frigidior humidior: cruda, aquoſa, alba, mucoſa, lenta, Gal. lib. 1. ad Glauconem. Vrina alba, pallida: nunc tenuis, nunc craſſa, turbida.

Ibidem. Sudor in ſtrigile, linteis, albicans, acidũ olens: & in ſabulo, mẽſes aut ſanguinem alium recipiente, color albicans. Morbi pituitoſi cõſueti: vt œdemata, leucophlegmatia, alphi albi, ophiaſis, alopecia cum cuti albiore, quotidianæ febres. Tolerandi purgationem per medicamentum phlegmagogũ facilitas: præſertim hyeme, & in morbis pituitoſis. Iuuatur calidis ſiccis: læditur frigidis humidis, ſumptis, admotis, factis, educẽtibus. Somniũ frequẽs, aquarum, pluuiæ, niuis. Ariſt. lib. de ſomnio. Hipp. & Gal. lib. de ſomniis. Ad ſomnum profundum propenſio. Pulſus paruus, tardus, rarus, mollis. Senſus hebes, motus tardus. Partiũ omniũ ſegnities, & grauitas. Mentis pigritia, & torpor, & obliuio prõpta. Ad morũ autẽ cultũ, pituitæ natura nihil facit. Gal. lib. de nat. humana. Signa pituitæ acidæ & ſalſę, linguę ſunt manifeſta in ſaliua, & ſanguine per dẽti-

ſcalpium in os effuſo. Ad hæc ſalſam oſtendunt color, calor, præcedens in ſalſis alimentis victus conſuetior, pruritus, ſcabies. Signa flatuum: ex victu præcedente pituitoſo, flatulento, & tenſione ſine grauitate, ex ructu, borborigmis, crepitibus, dolore turgido & vago citò naſcente & deſinente, tumore tactui multum cedente, tranſparente, leui. Somnium quoque de volatu, aut ſaltu etiam fluuios ſuſpenſo corpore ſuperante, hac ætate frequens eſt. In aliis autem pituita & flatu carentibus, humorum æqualitatẽ, & euchymiam ſignificat Hyppocrati, lib. de ſomnis ægrorũ.

De bile.

Gal. cõ. 5. in libr. 6. epid.



Ολὴ, id eſt bilis, cum abſolutè & ſine alia adiectione dicitur: pallida, rariùs flaua, intelligitur. Aliæ autem huius differentiæ, cum caloris aut conſiſtentiæ nomine, appellantur. χολὴ πυρρὰ, χολὴ ξάνθη, χολὴ ἐρυθρὰ, χολὴ πρασώδης. ἢ πρασοειδὴς καὶ χλωρὰ, χολὴ λευκοῶδης, χολὴ ἰώδης, χολὴ ἰσατῶδης, χολὴ μέλαινα, χολὴ ὑδατῶδης. Vitellina fit ex flaua incraſſata, ouorum crudorum vitello, colore & conſiſtentia ſimilis. Pallida, quę aquoſam accepit ſubſtantiam. Viridis, bile pallida & crocea eſt tincta. Eadem propè ſed pleniùs & dilucidius, initio, lib. de atra bile. Humor à pituita alius eſt, ſemper amarus, vt vomentibus ſentitur, nõ tamen ſemper flauus, ſed interdũ pallidus, & is flauo ſemper tenuior: quòd pallida bilis ex flaua fit, & miſta ſimul humiditate tenui, & aquea ſubſtantia ſeu ſeroſa: ex qua fit vrina & ſudor. Contrà verò ex flaua bile impenſius digeſta & diſcuſſa, fit bilis λευκοειδὴς, id eſt vitellina: vitello ouĩ crudi ſimilis: craſſa & ſummè flaua, vomitu ſæpe & deiectione reddi ſolita: humidior autem bilis & minùs flaua, quæ propriè maximè ὠχρὰ ſeu pallida vocatur, permiſtum habens in ſe tota, pituitoſum humorem tenuem, vel aquoſum quoddam excrementum. Hæc autem ὠχρὰ bilis gignitur in corpore ſecundum naturam habente: πρασοειδὴς autem, habente præter naturam, & hæc in ventriculo ſæpe gignitur, ob ciborum quorundam cruditatem: & olerum

Gal. com. in prog. 38. lib. 2.

vt betæ, cæpæ, braſsicæ. Aut etiam his non ſumptis, gignitur interdum à morbo ſeu calore præter naturã in venis, à quibus in ventriculum & inteſtina deponitur.

Et ea triplex bilis differentia, in venis generatur. In ventriculo autem πρασοειδὴς, id eſt porracea, à porri colore appellata: quomodo ἰώδης, id eſt æruginoſa & ἰοειδὴς, id eſt glaſtea, ab æruginis & glaſti colore.

Omnium moderatiſsima & minimum calida, amara, mordax, eſt pallida: acerrima verò, calidiſsima, & mordaciſsima eſt, iſatodis iam atræ bili conſiſtentia, calore, viribus proxima. Quæ in medio harum ſunt: quo magis pallidæ, propinquant, minus ſunt vehementes: quæ magis ἰοειδεῖς, eo ſunt ſæuiores & maligniores. Præter has eſt bilis rubra ſanguinis ſerum ſeu ſanguini tenuis ſubſtantiæ propinqua: ſed bilis dicta, quod extra vaſa, vt ſanguis ipſe, nõ concreſcit. Ea autem bilis, in nobis ſic gignitur. Vti ex vino recens expreſſo, ſed feruente & alteraſcente à ſuo calore, duo excrementa per mutationem illam ſeparantur, alterum leuius, & magis aereũ: alterum grauius & magis terreum (illud florem, hoc fæcem vocant) illi, bilem flauam: huic, atram aſsimiles licet. Qui duo ſucci, in nobis ſanis, aliam quam in ægris, habent ſpeciem. Nam bilis flaua, quandiu animal à natura regitur, naturalis eſt & vtilis. Vſta vero efficitur vitellina, ſeu ouorum vitellis, colore,, & conſiſtentia ſeu craſsitudine, ſimils, ſic & ſuccus ater naturalis eſt moderatusq; : niſi vſtione aut putreſcentia malignior longè euadat: quæ iam non ater ſuccus, ſed bilis atra vocatur. De qua ſuo loco. In ſanguine enim generando quod abundè craſſum & terreum ex ciborũ natura in nutrimento fertur, nec commode à colore natiuo alteratur, id lien ad ſe trahit: quantum verò eius nutrimenti dulciſsimum, & calidiſsimum, aſſumq; ac vſtum, flaua bilis dicitur: & à folliculo fellis trahitur. Eſt autem hoc naturale ſeu ſecundum naturam tenue, humidũ, fluidum, non flauum: igneum, craſſum, vitellis ouorum ſimile, ad vltimum ſcilicet iam excoctum & præter naturam. In vtraque autem hac bile, multæ ſunt maioris & minoris rationes: cum quædã, ſanguinis aduſtione parua, fiant: aliæ, maiore: aliæ maxima.

Lib. 2. ſa cul. nat.

Lib. 4. ſa mi. tuend.

Cauſæ bilis largioris.

Cap.12. lib.2.feb. & aph. prob.83. lib.1.

Alor hepatis & cordis & venarum & arteriarũ immodicus: qui chylum, & partem ſanguinis tenuiorem, in qualitatẽ amaram & acrem vertit. Temperatura totius, calida ſicca immodicè: vt in iuuentute omnium ætatũ bilioſiſsima, lib.2.feb. cap.1. & in aëre calido ſicco: qualis eſt æſtate ſuã naturam ſeruante, & opœre partis canis ortum ſequente, lib.1. antidotorũ: & in regione inter tropicos media. Exercitatio celeris, robuſta, vehemẽs, multa frequens, in æſtu, per inediã aut cũ cibo pauco, calido ſicco: & cũ medicamẽtis calidis ſiccis. Inedia vnius diei, multo magis bidui, tridui, imo paſtus alicuius cõſueti omiſsio: potus parcior, rarior, calidus, ſiccus. Omiſſa cõſuetudo bilem vacuandi, ſpontanea, vel medica præſertim æſtate, & in morbo bilioſo per medicamenta cholagœga, ſed bilem purgantia vomitu deiectione, vrinis, ſudoribus, aut per balnea aquarũ dulciũ. Vigilia, cura, ira, furor, cogitatio, mœror, animi impetus: alij vehementes frequẽtes, longi. Alimentorũ partes vſtæ: coquendo, elixando, aſſando, frigendo: vt cruſtum panis, placentarũ, carniũ pars extima, nimis aſſando ſalſa, amara, acris: cortex fructuũ aſſatorum, oua frixa, lactis portio imæ ſartagini affixa. Salis, & ſalſorũ, & amarorum, & acriũ vſus frequẽs, & largus: præſertim primis epulis, & in temperatura calida ſicca, & aëre calido ſicco: vt ſalſorum, tum quadrupedũ, tum piſcium. Vt apij, gingidij, ſiſ, naſturcij, ſinapi, pulegij, calaminthes, origani, thymi, maioranæ, roriſmarini, hyſopi, ſatureiæ, & aliarũ herbarũ ſimiliter calidarũ: vt aromatũ omniũ: vt cæpę, alij, porri, paſtinacę, cari, rhaphanidis, & cęterorũ humores craſſos, ſuo calore, tenuantium. Et è fungis, boleti: choleram enim morbũ gignũt, vti & pepones: & magna pars eorũ quæ flaua ſunt, veluti alborũ magna portio, pituitã: nigrorũ, melãcholiã gignit, & trahit ſimilitudine totius ſubſtãtiæ, in medicamẽtis cathartícis. Sic rhabarbarũ, aloë, bilẽ vacuãt. Cnicus & elleborus albus, pituitã: elleborus niger melãcholiã trahẽdo, purgat.

Bilis flauæ largioris ſigna, cùm cauſis nuper ſcriptis.

Corpus tangentibus, calidum ſiccũ, mordax, gracile, hirſutum, lib. 2. tẽperamentorum. Venæ & arteriæ amplæ. Color oculorum, faciei, corporis reliqui, pallidꝰ, ruffus, flauus, nigellus. Vacuationes & ſpontinæ & medicæ, bilioſæ, ſalubres, & toleratu faciles, vt vomitus bilioſus, & amarus: nunc flauus, nunc viridis. Aluus aſsiduè ſicca: & ſtercus paucũ, ſiccum, acre & vrens: ſæpe bilioſum, flauum, pingue, torminoſum. Vrinæ admodum flauæ, tenues, cum paucis contentis. Et ſi cibo diutius abſtinuerint, igneæ, mordaces. Sudor flauus in ſtrigili, linteis, amarus linguæ ægri, & per ſudoris initium horret, ceu acubus pungantur. Aurium excrementum flauius, largius. Mucus narium ruffus, flauus, viridis, paucus. Lippitudo oculorum, ſimilis. Lingua ſicca, aſpera, pallida, ruffa, flaua: præſertim manè aut poſt laborem. Os amaricat, ſaliua, ſputum, amara. Morſus aliquis in ventriculo, & magis in eius ore, & inde conuulſio epileptica, ſyncope ſtomachica. Sitis vehemens & inexpleta, frigidis humidis placanda, quibus calidę & ſiccæ naturæ, delectantur, & iuuantur: vt contrariis læduntur. Appetentia cibi deiecta: vt aliis, æſtate, & per febres præſertim acutas. Somnus omnino paucus, leuis, vigiliæ propè perpetuæ & inquietudo. Somnium ignis, incendiorum, rixarum, pugnarum. Animo eſt dextero, & prudenti. Gal. lib. de natur. humana: niſi quòd ſæpius eſt ad omnia præceps, aſtutus, fallax, iracundus, audax, temerarius, gloriæ cupidus, vindictæ appetens, acer, vltor iniuriarum, liberalis & ſæpe prodigus, ingenio perſpicaci, ad cogitationes propenſo, celeris incremẽti. Pulſus magnus, vehemens, velox, frequens, durus. Morbi frequentes, bilioſi: vt herpes, eryſipelas, febris tertiana, & ardens, cholera morbus.

De humore melancholico, & melancholia.

Aph. 21 *lib.* 4. *Lib.* 14. *meth.*

Ποχωρήματα μέλαινα, seu deiectiones nigræ, medicis veteribus dicuntur: quæ χολὴ μέλαινα ἀκριβῶς non sunt. Nam illa nihil habent θερμόν, neque ἐξώδες, neque διαβρωτικόν: neque in terram effusa ebulliunt, terrámque fermenti, & aceti modo attollunt (quod atræ bili, seu melancholiæ proprium est) sed sunt veluti sanguinis limus, fæci vinorum crassorum similis. Porrò hic limus, si diutiùs in corpore retinetur, nec vacuatur per meatum aliquem sensibilem aut occultum, transmutatur & putrescit, & à febre inflammante vritur: fitque bilis atra exquisita. Quum autem sanguinis velut limus est, eum humorem melancholicum lien, hepar expurgans, ad se trahit: eóque ad sui nutritionem alterato, vtitur, reliquias ad ventriculum expellens, vnà cum aliis excrementis vacuandas. Quòd si lien, hepar malè hoc humore purgarit, hepar grauabit & debilitabit: ficútque tunc deiectiones nigræ quales per aluum aliquando excernuntur non paucis hepaticorum vt docet Gal. lib. 5. loc. affec. cap. 7. Idem clariùs & fusiùs explicat. Gal. initio de atra bile. μελαινοχολὴ (quam paulò post μελαγχολίαν vocat) seu atra bilis, ab atro sanguine diuersa est: quia non concrescit, vt sanguis ater. Ab his autem quæ propriè μέλαινα, id est, atra vocantur multùm diuersa: virtute, & qualitatibus sensibilibus. Nam atra bilis vomentibus manifestè στυφνὴ καὶ ὀξεῖα, id est acerba, & acida, & acris (vt paulò ante dixi) gustatu & odoratu sentitur: & terram fermenti ritu, & aceti acerrimi eleuat, splendet: ex adustione, liquidior. Eadem partes quibus incubat erodendo vlcerat: eam, nec musca, nec mus, nec aliud quoduis animal, degustat. Ex humore autem atro, & fæculento supramodum exusto, conflatur præcipuè. Quorũ nihil adest dictis propriè nigris, siue deiectionibus, siue ἐφιζήμασι & cibis. Atra bilis alia, ex humoribus bile flaua vehementer vsta nascitur: tãtò priore malignior, quantò ipsa bilis flaua humore melancholico, seu sanguinis fæce est malignior. Ob id bilis atræ excretio Galeno semper visa est pernicioſa: & Hippocrati, dysenteriam

Libro 3. *loc. affec. cap.* 6.

teriam ab atra bile inceptam lethalem pronuncianti. Atrorum autem vacuatio, non rarò salubris. Nam in pestilentia per sedē die 7. aut 9. aut 11. plurimis salubriter sunt excreta quòd conualuerunt: ac etiam quibus humorem hunc melancholicum, natura ad cutim per crisin expulit, exanthemataq; purpurea excitauit: qualia etiam plurimis sine febre excitantur, natura humorem melancholicum ad cutim expellente. Sed qui exactam bilem atram ex sanguine vsto natam deiecerunt, omnes mortui sunt. Idem repetit Gal. comment. in prog. 29. lib. 3. his verbis. Quartana ex humore melancholico gignitur: cui humori generatio duplex est. Vna, ex sanguine crassiore, qui in venis proportione respondet fæci vini in dolio subsidenti. Altera, ex bile flaua vehementer assata. Ipsa igitur μέλαινα χολὴ malefica est: & erodit partes: in quibus abundè collecta est.

Altera verò μέλαινα mitior est quàm hæc: potissimùm quando in animali non est morata cum multò calore præter naturam. Sic & Gal. libro secundo facult. nat. succus ater vocatur, quando naturalis est: quando autem seipso longè malignior euasit, iam bilis atra vocatur. Eadem ὀξεῖαν qualitatem habet, & δριμεῖαν modo aceti: & illius more radit, & rodit corpus animalis: & terram, si in eam effundatur: in eaque fermentationem, & ebulitionem efficit.

Gignitur autem ex succo atro naturali, per aduenientem illi putredinem. Naturalis autem succus, infra sæpe deiectus, & sæpe supra fluitans, terram non fermentat.

Quòd autem fermentationem in terra excitat, præter naturam est, in talem vim, & speciem mutatum ex vstione, à calore præter naturam: à quo acrimoniam acquisiuit & velut cinis quidam est redditum: vti fæx vini ante vstionē, frigida, sicca: post vstionem adeò calida est, vt carnem vrat, liquet, corrumpat. Fit & ex vitellinæ bilis vstione. In eaque sunt multæ aliæ differentiæ.

Humoris melancholici, & melancholiæ causæ.



Emperatura totius, frigida ſicca: natiua, vel acquiſititia: cũ lienis imbecillitate, ex alimentis frigidis ſiccis, & aliis ſumendis, admouendis, faciendis, educendis, humorem melancholicum feci ſimilem, hoc eſt, craſſum, frigidum ſiccum, gignentibus.

Temperatura verò calida ſicca: vel natiua vel acquiſititia: ex bile flaua, & bilioſis alimẽtis: & calidis ſiccis, craſſis: & ex ſanguinis parte craſsiore: & ex humore melancholico vſto, atram bilem fæci vſtæ ſimilem, id eſt, calidiſſimam ſiccam, cauſticam, gignit. Et quibus ſanguis multus generatur, his promptè in cacochymiam melancholicam peruenit. Aetas declinans, iuuentuti ætatum bilioſiſsimæ ſuccedens, & bilem retorridam excipiens.

Gal. cõ. 3. in lib. 3. epid.

Autumnus, æſtati omnium anni partium calidiſsimæ ſiccæ ſuccedens, & vſtam in ea bilem excipiens: & alius quiuis ſtatus autumno ſimilis, id eſt, nocte, manè, veſpere frigidus ſiccus, meridie calidus ſiccus. Vere autem furores, atræ biles deteguntur. aph. 20. lib. 3. non autẽ gignitur, vel augetur vere, atra bilis.

Exercitatio, qualis quæ bilem gignit, ſed diuturnior, frequentior: & in æſtate vel autumnis die medio, & cum multò ſudore, ira, cura, vigilia, metu, mœrore, cogitatione vehementi rerum grauium, aut triſtium, vitæ ſortè anxia.

Febris ardens præceſsit, non commodè refrigerata, humectata. Omiſſa conſuetudo ſpontina, vel medica, humorem melancholicum, vel atram bilem vacuandi per hæmorrhoidas venas, deiectionem potius quàm vomitum, per menſes, vrinas, ſudorem. Vſus multus, & frequens alimentorum hos humores craſſos gignentium: qualia ferè ſunt. Gal. in alimentis, & li. de attenuante victu, & libr. 3. loc. aff. cap. 6. iſta.

Panis furfuraceus & ater, etiã ex laudatiſsimo tritico. Panis itẽ ex typha ſeu ſecali, vitia, lens quouis modo parata.

Zythus, & curmi ex hordeo putrefacto potus Alexandrinorum noſtræ birię, & cereuiſiæ proximus.

Caro caprina: hircina magis: bubulæ taurina magis: aprugna, ceruina, leporina: maximè autem, aſinina, camelina,

canina, vulpina, salsa item multò magisquàm recens: lien, sanguis eorundem animalium, caseus vetus, cydonia, mespila, sorba: nux, præsertim auellana: germina tenera terebinthi, lentisci, rubi, canisrubi: muria, vel oxyhalme condita, brasicæ corpus, cinara iam durior. Limaces: crustatorum, & testatorum, & ceraceorum præsertim salsorum caro. Vinum crassum, nigrum: & biria, cereuisia nostras: sed lupulorum satiuorum flore foliato, ipsi incocto, innocentior efficitur: vt doctè scribit Manardus epist. 2. lib. 5. & alibi. Ab his ergo, & similibus causis, humor vterque augescit: ab euchymis verò, & temperatis, & contrariis, mitescit & minuitur. A partu quoque sanguis melancholicus, & is reliquus ex fœtus alimento. Portionẽ enim sanguinis optimam trahit fœtus: deteriorem & fœculentam, in chorio, & vasis ad vterum pertinentibus, deponit. *Gal. cõ. 31. in lib. 5. epid.*

An verò pituita, siccando & vrendo, in melancholiam: vt in calculum & tophum, transire possit, à multis dubitatum audio.

Mihi tam scrupulosa animaduersione hoc loco opus nõ est: præsertim cum videam morbos propè omnes planè melancholicos à veteribus æstimatos, quartanam, alphos, elephantiam, scirrhos, etiam à pituita in his regionibus frigidis, alimento multo, & crudiori assuetis generari: ac etiam Galeno confirmari omnem humorem crassum, quo dammodo esse melancholicum: & epilepsiã, à pituita crassa, & melancholico humore nasci. lib. 3. loc. aff. cap. 5. & pituitam vel subamaram, & calidam vrendo fieri in melancholia flatulenta. ibidem, cap. 6. *Initio libri method. 13.*

Humoris melancholici, & bilis atræ signa cum dictis nuper causis.

COrpus totum emaciatum, venis latis, hirsutũ, nigrum, sæpe ruffum & flauũ, calidũ siccum, atram bilem significat. Tumidũ verò, venis angustis, nigrum, depile, frigidum siccũ, humorem melancholicũ. Lienis durities, tumor, dolor grauis, color palpebrarũ, præsertim

inferioris,& totius corporis,fuſcus,viridis:ſanguis, vena ſecta vel aliter diuiſa excretus,niger,craſſus,concretu facilis. Facilitas tolerandi vacuationem per medicamenta hunc vtrunque humorem purgantia: & per hæmorrhoidas,& per venæ ſectionem amplam,ſi ſanguis craſſus excernatur.Morbi melancholici frequentes: vt ſcirrhus niger,alphi nigri,phagedæna,cancer,elephas,ipſora, lepra, varices,hæmorrhoides,melancholia morbus.

Febres inordinatæ,quartanæ,quintanæ, ſextanæ, ſeptimanæ,octauanæ,nonanæ, Hipp. & Gal.in epidemiis, & porrheticis.Vrina craſſa,nigra,fuſca:Interdum viridis, liuida:interdum rubra,obſcura:interdum alba,tenuis.

Sudor niger in ſtrigili,linteo: paucus, acidus odore, & ſapore.

Deiectio nigra,acerba,acida,concreta,obſcura ab humore melancholico: acida & acris,fluida, ſplendens ab atra bile:ſputum paucum.Ructus acidus, interdum & acer, & mordax cum ardore quodam in ore ventriculi.

Appetentia corrupta, interdum canina, à materia acida os ventriculi imbuente & ſuggente. Hypochõdrij ſiniſtri, interdum dextri læſio:in melancholica, & flatulenta paſſione.

Color menſtruorum,in ſabulo vel panno,fuſcus: & aliorum humorum,alius:Hipp. lib. de morbis muliebribus.

Dolor grauis capitis,præcipuè ſiniſtri: vt ab hepate ægro,dextri.

Oculi limpidi,lucentes:aſpectus fixus,& terribilis.

Vigiliæ & inſomnia:aut ſomnus leuis,plenus inſomniis turbulentis,terribilibus, à ſomno expergificantibus.

Somnia terribilia:vt mortis,cadauerum, ſepulchrorum, tormentorum,dæmonum,nigrorum aliorum.

Pulſus varius, pro contraria humoris natura in ſanis:& ægris.

Integer,grauis.Galen.libro de natura humana.

Malignus interdum: vt etiam ſibi mortem conſciſcat: inuidus,fraudulentus,auarus,parcus, ſoluere lentus:taciturnus,lachrymabundus,cogitabundus,ſolitarius, miſanthropos,id eſt, oſor hominum.Immoritur ſtudiis,propoſiti tenax, iratus ægrè placatur. Ingenioſus: problemate 1.

sect.30. Arist. Timidus & mœstus, aph. 23. lib. 6. & 41. lib. 7. Libidinosus Galen. commenta. 3. in libr. 6. epidemion: & Aristo. problem. 31. sectionis quartæ: quia flatulentus. Ex his notis, quæ magis aut humorem melancholicum, aut atram bilem, aut communiter vtrunque declarant, distinguere non erit difficile: si dictam vtriusque humoris naturam memoria tenueris. Quamuis, vt humorem melancholicum, sic atram bilem Galenus frigidam sæpe appellat: hoc est, quæ ab incendio illo bilis, aut sanguinis, aut humoris melancholici, deferbuit: quomodo glebam fæcis vini vsti, aut calcis, vbi ab igne refrixerit, frigidam actu sentimus: tamen in his calor quidam caustícus est sopitus, qui in actum productus, vrit. De his humoribus plura & certiora ederemus: si Hippocratis librum de humoribus, & Galeni in eum librum commentarios tres, haberemus integros.

Causis febrium tam effectricibus, quàm materialibus explicatis, docendum est in quo corporis affectu, causę effectrices febrem promptiùs generent: sed minùs periculosam. Corporis enim afficiendi præparatio, magni est momenti ad febrium & morborum aliorum generationem: & in corporibus symbolum, seu naturarum quendam consensum habentibus, mutua transmutatio est propensior. Aphor. 34. lib. 2. Ob id corpora calida sicca, ad febres, affectus calidos siccos, sunt opportunissima: & quæ, ex diaria in acutam prōptè abeunt: nisi maturè cibentur. Tamen illis corporibus febris est minùs periculosa: quia per eam minùs à natura recedunt quàm frigidi humidi, febre æquè vehementi laborantes.

Ob id rectè Hippoc. In morbis minùs periclitantur quorum naturæ, ætati, habitui, tempori morbus cōgruit: quàm quibus secundum nullum eorum consentit.

Intemperies calida humida, post dictam, febribus opportuna. Ad alia verò vitia putredinosa, priore est multò vitiosior. Tertia, calida, humido sicco temperata, quæ diariis, & plurium dierum febribus, etiã opportuna est. Quarta, sicca, calido frigido temperata. Absolutè autem temperata, in vtraque primarum quatuor qualitatum oppositione, media inter præcedentes & sequentes.

Nam ea omnibus intemperaturis potentiſsimè reſiſtit, vt calida frigidæ tantùm : frigida, calidæ tantùm & aliæ ſimiliter. Quinta, frigida humida. Sexta, humida calido frigido temperata. Septima, frigida humido ſicco temperata.

Octaua, frigida ſicca. Pituita item & bilis, tum flaua, tum atra, quantumuis vel in corpore toto (vt in leucophlegmatia, ictero vtroque, elephantia) vel in aliqua parte (vt in alphis albis, nigris, œdemate, eryſipelate, herpete, cancro: phagedæna) cumuletur : niſi putreſcat, febrim non excitat. Natura enim ſuis facultatibus vſa, aſsimilare partibus nutriendis, quod vtile fieri poteſt : expellere autem, quod inutile eſt, ſemper nititur. Quod prauum, totum ſi excernere nequeat, ob ſuæ facultatis expultricis imbecillitatem, vel excrementi copiam, aut craſsitiem: aut lentorem, vel ob meatuum conſtipationem, id diutius in corpore immoratum, putreſcat neceſſe eſt. Nullus enim humor, qualis erat initio, permanere in corpore poteſt : etiam ſi erat vtilis: multò minus, qui adeò prauus eſt, vt à natura coqui ad nutritionem, nequeat. Quin & vtilis ipſe, niſi coctus, apponatur, & aſsimiletur ſolidis animalis partibus, corrumpitur & putreſcit.

Sic ictericis, & melancholicis, & pituitoſis affectibus, bilis alterutra: & pituita in corpore diutiùs immorata putret: febrémque putridam excitat. Sæpe etiam hepatis aut lienis phlegmone vel obſtructio icterum, febris cauſam excitauit.

De febrium ſignis generalibus.

Initio, li. 1. ad glauconem.

FEBRIVM omnium ſigna maxima, & maximè propria, ſumuntur ab ipſa caloris proprietate : quæ reliquorum propè ſignorum cauſa eſt. Nam quæ à pulſu & vrinis, maxima febrium ſigna Galenus ſumenda ſcribit : ea ſuæ mutationis cauſam : calori acceptam referunt. Quanquam & facultas pulſifica, & naturalis, ad hæc organi obediẽtia & alimenti na-

tura, eas in pulsu & vrina mutationes etiã afferre possunt. Sitim verò, tolerandi facilitatem aut difficultatem, insomnium, & alia non pauca febrium symptomata & signa, à calore proficisci certum est. Alia febrium signa ab actione omni, id est naturali, vitali, animali, læsa seu potius ab actionis læsæ differẽtia, & ab excretis, & à propriis morbi symptomatis quæ vnâ cum morbo inuadunt (vt febris acuta, dolor lateris pungens, tussis, difficultas spirandi in pleuritide) & ab his quæ mox apparent (vt sputo in pleuritide) & à cæteris quæ communiter de signis affectuum scripsimus lib. de signis, hic scienter omittimus. At cum febrium causæ, tum internæ: vt temperatura, consuetudo, ætas, habitudo, sexus: tum externæ: vt vitæ conditio, victus ratio præcedens, & alia sexcenta, ante signa scribi debeant & in signorum catalogum à Galeno vbique reducantur: nos eas inter prima febrium signa, etiam ante calorem, in singulis febrium differentiis, cogitatione tantùm repetendas collocamus: quod febribus generandis prætendantur, & sæpe partim genitis, partim gignendis adhuc adsint. Per signa igitur omnia aut saltem præcipua febrium, vt morborum aliorum, primo simplicium deinde compositarum naturam cognosces.

Simplicium quidem, primo die: duplicium, saltem secundo: vt triplicium, tertio.

Obserua autem primum, quæ secundum propriam substantiam morbo insunt: vt febris formam, ex accessionis principio, augmento, statu, declinatione, intermissione, caloris qualitate, pulsu. Deinde ex his quæ sæpius accidunt: vt accessione in dies, vel alternis diebus, vel quarto quoque die repetente, quæ sola nonnulli obseruantes sæpe falluntur: vt dum quotidianam, quæ quotidie: tertianam vocant, quæ die tertio repetit, & desinit. Nam ex hac nota, duas tertianas ita implexas, vt vna hodie prehendat, cras altera, vnam quotidianam putabunt: & duas quintanas sic mistas, vt vna hodie, altera perendie prehendat: vnã tertianã. Febris igitur tibi cognoscẽda potius ex ipsius specie & forma, quàm ex circuitione quotidianæ, tertianæ, quartanæ, aut accessionis proportione. Nec solã

febris ſpeciem & formam noſcas oportet: ſed etiam ægri virium robur, & morbi magnitudinem ſeu quantitatem: quæ nec ſcribi nec dici exquiſitè poteſt, ſed longam exigit experiẽtiam, & crebram exercitationem circa quantitatis coniecturam. Morbi autem magnitudo & virium robur, duo ſunt verbis breuia: ſed vſu maxima. Cognoſcas item, ſi morbus ſit exitialis, vel ſaluber. Si enim vires adeò validæ, vt morbum ſuperaturæ ſint, euadet æger. Si contrà, morietur. Qualitas autem remediorum, breuibus verbis manifeſtè doceri poteſt: vt in calido morbo, refrigeratio: & in aliis, ſua contrarietas. Sed qualitatis quantitas, ſeu ordo & gradus certus, tum morbi, tum remedij certis limitibus vix circunſcribitur: ſed coniecturalis eſt. Adhæc in omni morbo acuto cum febre, reſpiratio facilis eſt ſaluberrima: & alia huius generis infinita ſigna ſunt ſalutis aut mortis, non modò demonſtratiua, ſed prognoſtica. Quæ ex aphoriſmis, prognoſticis, prorrheticis, coacis, epidimiis, & aliis Hippocratis libris aſcribi poſſunt.

Prog. 29. lib. 1.

De communi febrium omnium curatione.

In eiſagoge pulſuum.

MORBORVM curatio omnis, methodo & ratione certa, & ordine bono conſtituta, per indicationes procedit. Eſt autem indicatio faciendorum inſinuatio: ſeu reſpectus quidam & circunſtantia, ad rectam curationem neceſſaria. Ea autem ſumitur à rebus naturalibus: vt temperamento natiuo & acquiſititio, & temperamenti cauſis: vt conſuetudine, ſeu conſuetа victus ratione, quæ temperamentum potenter mutat & efficit: vt ætate, vt ſexu, vt corporis habitudine: vt vitæ cõditione, vt aëre ſeu anni parte: regione, cœli ſtatu. Aërem enim Galenus cauſis naturalibus accenſet: vt exercitationem, balneum, cibum, potum, non naturalibus, quarũ facultas naturæ familiaris & ſimilis, morbo autẽ cõtraria, eſt deligẽda. Sumitur indicatio curatoria, etiã à rebus præter naturam, cauſa morbi, morbo, interdũ & à ſymptomate: non quatenus ſymptoma eſt. (Tunc enim nihil indicat)

ſed quatenus habet rationem cauſæ morborum augentis, aut vires debilitantis: à quibus vitalis indicatio potius, quàm curatrix ſumitur. Illa autem priora, in morbis indicant ſui conſeruationem per ſimilia: temperamẽtum enim vitiatum, per morbos immutare non tentabis. Aër verò, ſi temperiem habet morbo contrariam, ſeruandus eſt: ſi ſimilem, alterandus, & in contrarium mutandus, vt cauſa ſit ſalubris. Hæc verò poſteriora: morbus, cauſa morbi, &, ſi vis ſymptoma, indicant ſui ablationem per cõtraria. Cum enim differentiarum febris primarum, vna ſit in qua cauſa adhuc adeſt febrim creans, aut febri excitata, iam deſiit, altera, qua febris iam facta, eſt ſchetica ſeu ſolutu facilis: vel hectica ſeu ſolutu difficilis: ab harum differentiarum ſingulis propria ſumitur indicatio. In febribus verò vel affectibus aliis, indicatio quædam eſt ſumma & generaliſsima à morbo ſumpta, ipſius ablationem per contraria præſcribens, ſecũda ſpecialis, ſeu abs tali morbo: quæ non abſolutè ablationem, vt prior: ſed certam quãdam ablationem indicat: per frigida ſcilicet, cum febrilis intemperies ſit in calore. Omnis enim exceſſus per contrarium & æqualem exceſſum ſanatur.

li. II. met.

li. 8. met.

Itaque ſi febris eſt cauſa iam deſita, vt diaria, hectica, ſolùm frigidis humidis alteranda & oppugnanda febris eſt: per ſumenda, admouenda, educenda, facienda: quæ calorem redundantem, æquali exceſſu refrigerando, abigant. At ſi febris adhuc in generatione eſt, cauſa eam accendens, prior eſt ſubmouenda: cum nullus affectus tolli poſsit, manente in corpore cauſa, quæ ipſum gignit ac fouet. Sin pars febris iam genita eſt, pars adhuc in gignendo: vtriq; conſulendum eſt, prius accendentem cauſam ſubmouendo. Deinde accenſam febrim extinguendo. Scias ergo cauſas febrim accendentes: & in quo corporis affectu, vt quod meatuum conſtipatio febrim excitat in corpore: à quo priùs tranſpirabat per cutim effluuium acre, mordax, fumoſum, fuliginoſum: vt in picrocholo homine, id eſt bilioſo, & atra bile vexato.

Quanquam verò morbus, & cauſa morbi, hoc habent commune, quòd per contraria ſint abigenda: tamen non ſemper eadem ſunt ipſa cõtraria: ſed interdum quod mor-

bo ipſi eſt contrarium, cauſæ eſt ſimile, & ipſam fouet: atque contra. Tunc autem potentioris indicationis maior eſt habenda ratio: non neglecta tamen altera.

Vbi autem indicationes ambæ conſentiũt: & idem vtrique eſt contrarium: tunc modis omnibus refrigeranda & humectanda febris: ſi indicatio à rebus naturalibus, eadem cum morbo, & cauſa morbi, poſtulet remedia. Vt ſi febris pituitoſa eſt, aut ab humore melãcholico: cauſa vtraque, ſi oppugnãda eſt: prior calida poſtulet & ſicca, in pituitoſa: & humida, in melancholica. At calida ſicca febrim augent. Victus enim frigidus humidus febricitãtibus omnibus confert, at is cauſam febris exacerbat. Ergo in ea indicationum pugna, maiorem habe rationem eius, cauſæ ſcilicet aut morbi, à quo maius impendet vitæ periculum. Si verò febris eſt bilioſa, victus frigidus humidus, & cauſam, bilem calidum ſiccum humorem, & febrim affectum calidum ſiccum, ſimiliter oppugnat. Ergo modis omnibus refrigeria: ſi temperamentum eſt humidum: vt puerorum, & victui humido aſſuetorum. Si verò etiam frigidum: cautiùs agendum eſt.

Lib. 7. tut. Nam tutiùs calefacimus & humectamus, quàm refrigeramus & ſiccamus: quòd illæ qualitates ſint vitales magis, (vita enim à calido in humido) hæ verò ſenectutem ac mortem accelerant. Si igitur cauſa febris, febris, temperies, ætas, conſuetudo, aër vnam victus ſpeciem poſtulant: hanc inſtituamus: ſi diuerſam: quæ indicãtia valentiora & plura ſunt, præferemus: cõtraria tamen non negligemus. Sic verò in pugna indicationum, earum numerum & magnitudinem expendemus. A febri ſumpta indicatio, reliquis omnibus contrarium præſcribẽtibus, numero quidem, inferior eſt: magnitudine autem ſeu poteſtate, ſuperior: præſertim ſi febris magna eſt, & indicationes contrarias abolet ſic, vt refrigerãdũ & humectãdũ ſit. Si verò parua febris eſt: non refrigerandum humectandum abſolutè: neque calfaciendum ſiccandum (ſi id fortè aliæ indicationes contrariæ poſtulant) ſed media victus ratio, (vbi hæc ſunt paria) inſtituenda eſt. Porrò in diariis, vtpote breuiſſimis & mitiſsimis indicatio à viribus, locum rarò habet: nunquam à cauſa, nempe iam deſita: tamen vtraque putri-

dis conuenit: hecticis ea quæ à viribus non quæ à causa. Refrigerant & humectant, quædam per se: vt sumenda, actu vel potestate frigida humida: quædam per accidens, id est per calidæ siccæ materiæ vacuationem: vt medicamenta cholagoga, transpiratio materiæ febrilis: libera, per cutis poros: à calore, vt stragulorum, vel balnei in declinatione, patentes. Ocium quoque, per accidens refrigerat, seu per abstinentiam exercitationis calorem augentis: vt inedia per accidens vacuat: quia humorem triplicis substantiæ non resarcit: & calfacit, siccat.

Ob id picrocholis, tum sanis, tum ægris, aduersissima est: minus noxia calidis humidis, calidis humido sicco temperatis, siccis calido frigido temperatis. Salubris autem frigidis humidis, frigido sicco temperatis, frigidis siccis: vbi humoribus citra corruptelam abundant: quod illis est perpetuum. Non tamen omnibus his ex æquo salubris est: sed præcipuè frigidis humidis. Frigidi autem sicci ex inedia læduntur: ita vt vix longo tempore ad naturam redire possint. Sicca autem natura calida frigido temperata, in longa inedia gracilescit quidem magis quàm frigida sicca: sed victu idoneo facilius reficitur, ob caloris mediocritatem, quæ cum frigidæ siccæ naturæ desit senium & mortem promptius sentit.

Cæterum victus ratio in febribus, non solùm à febris essentia, & causa, & dictis nuper indicationibus aliis sumenda est: sed etiam à viribus & totius morbi statu: vt illa victus qualitatem magis indicent refrigerantem, humectantem, calfacientem, siccantem: hæc autem, & qualitatem, sed magis & minus nutritoriam: & quantitatem, tum continuam, seu cibi potúsque mensuram: tum discretam, seu quoties die est nutriendus æger: ac præterea tempus, quo salubriter nutriri æger debeat. Quæ Hippocrates libro primo, aphor. plenius docuit. Quibus morbus statim consistit: iis statim tenuis victus adhibendus: quibus verò posterius debet consistere: iis & in ipso consistendi tempore, & paulò antè illud, cibus subtrahendus: prius verò vberius agendum, vt æger sufficiat. Nam quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu *Aph. 10* *Aph. 8.* *Aph. 6.*

tenuiſsimo eſt vtendum. Vbi autem morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores, id eſt ſtatum. (Nam dum morbi conſiſtunt, omnia & febris & ſua ſymptomata ſunt valentiora) & extremè tenuiſsimo victu neceſſariò vtendum eſt.

Vbi verè non ſed pleniorem victum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum eſt, quantò morbus extremis eſt mitior. Coniectabis an æger cum tali victu ſufficiat perdurare, donec morbus conſiſtat: & nũquid prius ille deficiat, nec poſsit cum tali victu perdurare: vel morbus antè deficiat & hebeteſcat. *Aph. 9.*

Et quibus ſemel, aut bis, & quibus plura aut pauciora particulatim offerenda, conſiderandum: ſed condonandũ aliquid ætati, conſuetudini, tempori, regioni. *Aph. 17*

In acceſsionibus abſtinere oportet, nam cibum dare, noxium eſt. Sic igitur morbis bilioſis (quia citò & fiunt, & creſcunt) ſtatim victus tenuis eſt ſaluber. Pituitoſis autem, & melancholicis diuturnis, initio plenior, in ſtatu & ante ſtatum tenuior. *Aph. 11.*

Alioqui æger cum morbo perit: aut intempeſtiuè, & in ipſo ſtatu victum tenuiſsimum & inediam poſtulante, nutrire cogeris. Neque ab his ſolis perfecta victus ratio in morbis inſtituitur: ſed etiam à natura, & ætatibus, & conſuetudine, & ſomno, & anni parte: vt rectè etiam eodem libro admonuit Hippocrates. Senes facillimè ieiunium ferunt: ſecundo loco, qui ætatem declinantem habent: minùs, adoleſcentes: minimùm, pueri præſertim viuidiores. *Aph. 13.*

Qui enim creſcunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: alioqui corpus abſumitur: ſenibus verò, parum calidi innati adeſt, paucis ob id alimentis egent, quia à multis extinguntur. Ventres, hyeme, & vere, natura calidiſsimi ſunt: & ſomni longiſsimi, quare his temporibus alimenta copioſiora ſunt adhibenda. *Aph. 14* *Aph. 15.*

Somnus quoque in febribus magni eſt momenti. Nam acceſsionis initio, (præſertim dum frigus extremorum, vel horror, vel rigor adſunt) ſanguis & ſpiritus, & in his poſitus calor naturalis totus, in profundũ corporis vergunt: ibique conculcati, veluti ſuffocantur, & acceſsionem atq; conſtitutionem febris augent: ita vt vix ad ſtatum veniat. *Gal. cõ. in aph. 1. lib. 2.*

Si qua verò phlegmone est viſceris, per eum ſomnum augetur. Ob id per initia acceſsionum, vigilias imperamus: per quas ſanguis, ſpiritus, calor, foras ad exteriora feruntur: motu ſcilicet oppoſito illi, quem acceſsionis initio habent. *Ibid. & com. 4. in lib. 5. epi.*

In declinatione autem particulari & vniuerſali, eſt ſaluber ſomnus: aliquando & in ſtatu, & in fine augmenti. Cum igitur artem medicam tria perficiant: morbus, æger, medicus artis miniſter: ægrum quæ cum medico aduerſari morbo oporteant: in victu medicus dicta propè omnia ad morbum & ægrum reducit: ita vt diligenter prouideat, ne morbus augeatur: néve ægri vires, præſertim tempore longiori laboraturę proſternantur. Quæ duo exactè obſeruare, admodum difficile eſt. *Hip. lib. 1. epid.* *Lib. 1. ad Glauc. in curatione tertianæ. notha.*

Nam inedia, aut victus quiuis tenuior, quantum ad morbi coctionem & curationem confert: tantum vel etiam amplius viribus officit. Victus autem plenior, quantum vires ægri adauget: tantum morbi coctionem impedit.

Ergo morbi magnitudinem, & ægri vires, in victu ſtatuendo, obſerua: & vtrum eorum potiora auxilia poſtulet, vt viribus robuſtis, & morbo coctu difficili, inediam, aut ſaltem victum tenuiorem imperes: pleniorem verò, viribus imbecillis, vbi morbus non eſt adeò coqui contumax. Vires autem omnino integras, & quantas ab initio morbi accepimus: per morbum, victu idoneo ſeruare non licet: ſatis eſt, ſi multùm debilitari non ſinamus. Quin & chamęmelum, febres citra viſceris alicuius phlegmonē natas, præſertim ex humore bilioſo aut cutis denſitate prouenientes, diſcutit & diſſoluit & ſanat dum percoctæ ſunt. Reliquas omnes, quæ melancholicæ & pituitoſæ ſunt, & ex viſceris phlegmone natæ, concoctas ſtrenuiſsimè iuuat. Nam hypocondriis etiam gratum: dura emollit: conſtipata rarefacit: incidit, tenuat, terget. Vt non omnino malè ab AEgyptiis ſapientibus, ſoli ſit conſecratum, & febrium omnium remedium æſtimatum: quanquàm bilioſarum præcipuè, & à cute denſata natarum. *Gal. li. 3. Cap. 7. ſim. med.*

De febrium acceſsionis temporibus quatuor.

IN curatione febrium omnium communi, ad victus rationem rectè inſtituendam, & acceſsiones, & conſtitutiones obſeruandas docuimus: illas quidem, quia in acceſsionibus cibum dare noxiũ: has verò, quia à totius morbi ſtatu & viribus, vitæ formula ſumitur. Acceſsionem verò ſeu παροξυσμὸν, vocamus partem periodi & circuitus febrilis priorem & peiorem: vt intermiſsionem, poſteriorem & mitiorem.

Porrò acceſsionis tempora ſunt quatuor: principium, augmentum, vigor, declinatio: quæ in tertianæ intermittentis exemplo, clariùs exponentur. Principium acceſsionis tertianæ, eſt dum quis inhorruit. Deinde iterum atque iterum inæqualitatem quandam validiorem, & horrorem euidentiorem, ac rigorem ſeu vehementem plurimarum corporis partium concuſsionem ſentit, cum partium externarum vehementi frigore: quia tunc ſanguis cum calore & ſpiritu, in altum ad viſcera confluit: vnde & tunc ſitiunt: vt à frigore, ſomnolenti fiunt. Durátque hoc tempus, cum ſumma illa caloris & frigoris inæqualitate: donec æqualiter totum corpus caleat. In eo quoque tempore, ægrè citra offenſam actiones conſuetas obire nequit: ſed decumbit, & operiri poſtulat.

Pulſus tunc durior & minor euadit: idque horis tribus, pluribus, paucioribus.

Calore mox inſigni augeſcente, & in partes etiam exteriores extenſo, & pulſu ob eum maiore, velociore, frequentiore, fit augmentum: perſeuerante verò æquali caloris magnitudine: & perſeuerantibus dictis pulſuum differentiis: quantum ſenſu indicare poſſumus, fit ſtatus, ſeu vigor, & ſumma acceſsionis magnitudo. Decreſcente verò paulatim calore, fit declinatio, quam finiunt halitus quidam per cutim, ac ſæpe ſudores: Cui ſuccedit integritas, ſeu quies, ſeu intermiſsio, ſeu interuallum, ſeu ἀπυρεξία & infebricitatio, in qua ceſſat calor: & pulſus, ex magno,

veloci, crebro, ad halitum naturalem redit. Hæc sunt tempora quatuor intermittentium febrium accessionis, seu particularia, calore & pulsibus maximè distinguenda. Continuarum verò, quotidianæ, & tertianæ finitimarum (nam rara est admodùm continua quartanæ affinis) tempora, quanquam sunt in accessionis portione intermittentes imitante, eadem tamen sunt obscuriora, vt sæpe principium in augmentum coeat.

Status tamen his semper adest: sed pro integritate habent solùm παρακμήν, seu inclinationem quandam, & caloris febrilis ac eius symptomatum remissionem.

Quæ in vna accessione, aut continuarum reduplicatione, per simplices periodos spectasti tempora: in reliquis accessionibus & reduplicationibus exercebis & obseruabis singula, nunc longiora, nunc breuiora pro variis causis mox dicendis.

De febrium constitutionis temporibus quatuor.

ΚΑΤΑΣΤΑΣΙΣ Hippocrates vocat, quādam morborum formā ex talibus & tantis vniuersalibus tēporibus constitutam: seu qualemcunque ex totius morbi tēporibus, compositionem: interprete, Gal. lib. 1. crisi. cap. 4. quā nos vocamus constitutionē seu totius morbi durationem, circunscriptam temporibus quatuor, nomina eadem seruantibus, principium, augmentum, statum, declinationē: quæ totius morbi tempora seu vniuersalia vocamus: & eadem morbis omnibus præsertim salubribus, communia, in febribus exercemus. Hæc signis cruditatis & coctionis maximè distinguntur. Et sunt ad victus rationem rectè in febribus (vt idem de morbis omnibus aliis intelligas) instituendam, cæteráque præsidia fœliciter inuenienda & vsurpanda, omnino necessaria: vt ex Hippocrate discas, licet. Dum morbi inchoant: si quid mouendum videtur, move. Circa initia & fines omnia imbecilliora: dū verò cōsistunt, fortiora. Cōcocta medicari, non cruda nec in principio. In morbis acutis rarò

Aph. 12 libr. 1. & lib. 1. epi.

Aph. 29. libr. 2.

Aph. 30 libr. 2.

Aph. 22

libro 1. Ap. 24. & in principiis, purgandum. Victus tenuis atque exquisitus, in morbis longis semper est periculosus. Vbi morbus
libro 1. Aph. 4. peracutus est: statim extremè tenuissimo victu vtendum est. Quando morbus in suo vigore consistit: tunc victu
libro 1. tenuissimo est vtendum.

Aph. 7. libro 1. Aph. 8. 9. & 10. Febris autem quæ phlegmonarum, præsertim internarum, symptoma est, tempora cum phlegmones temporibus concurrunt. Eius verò quæ morbus est, principium est: quandiu humor, in quo est febris, crudus est. Vbi coqui incipit, augmentum: vbi maximè concoquitur, vigor, seu tempus morbi totius vehementissimum. Vbi symptomata minuuntur, & humores, declinatio. Coctio igitur humorum obscura, principium: manifesta, augmentum: perfecta, statum determinat. Huius autem coctionis in vasis, signa ex vrinis: vt eius quæ in ventriculo fit, ex deiectione: & eius quæ in respiratoriis instrumentis ex sputo sumenda sunt. Vrina enim aquosa, cruditatem in venis: deiectio liquida, in ventre inferiore: sputum tenue, in pleuritide, & peripneumonia. Vrina autem colorata, vt pallida, mediocriter crassa, cùm nebula, vel suspensione, vel hypostasi alba, læui, æquali, optima, est: colore, consistentia, contentis variis: pro varia morbi natura. Alia enim subsident in morbo bilioso; alia in copia crudorum humorum.

Vrina verò alba, aquosa, tenuis, non pallida, non crassa, sine nebula vel suspensione vel hypostasi, cruda est: magis quidem, cui omnia hęc desunt; minus cui pauciora, & minoris momenti. Nam vrinam tingere est naturæ facillimum. Lethalis autem vrina est, si tota est maximè turbida: vel graviter olet: & nebula, aut suspensio, aut hypostasis, nigra est: vel habet quædam parti farinæ crassiori, vel lamis similia: vel pinguedinem oleosam. Sic intemperiei totius corporis calidæ siccæ, id est febris tempora distinguntur. Aliarum verò intemperaturarum, simplicium, cõpositarum, solarum, cum humore totius partis, æqualium, inæqualium tempora, signis cuique propriis distinguenda: vt tumorum præter naturam, & solutionis continui. Phlegmones enim principium est, quandiu pars sanguine impletur. Augmentũ, quando influxus cessat, & sanguis in

phleg

phlegmone collectus putrescit,& calor à putredine fit, & à calore fuïo maior partem magis distendens etiam si nihil ampliùs affluat. Vigor,dum pus conficitur:& dolor ac febris maior. Declinatio, vbi pus effluit,aut digestum resolutúm ve est: ita vt tumor & tensio minuatur. Ophthalmiæ principium , humor copiosus , tenuis , incoctus , defluens. Augmentum , humor parcior, crassior , coctionis quædam nota. Statum ostendit humor eo parcior adhuc, & crassior:vt iam palpebræ dormientium glutinentur:coctionis maioris signum , declinationem , omnia hæc meliora. Vlceris principium,sanies aquosa,tenuis,incocta significat.Augmentum,eadem parcior,crassior.Statum,pus tenue. Declinationem, pus album, crassum,paucum. Catarrhi à cerebro,per palatum & nares,principium : humor copiosus, aquosus, tenuis,acer,defluens, eruditatis maximæ signum.

Augmentum,parcior,crassior,minus acer. Statum, hæc meliora:& declinationem,optima indicant. Sic, humoris qualitate & quantitate , tempora quatuor , eruditatem & coctionem declarant. De morbis autem salubribus , hæc intellige. Nam lethales , omnia tempora vniuersalia non percurrunt : cùm in principio interdum : sæpe in augmẽto : sæpius in statu : nunquam in declinatione , ægros iugulent , ob morbi malignitatem , & virium ægri imbecillitatem. De alio duplici principio , scilicet primo & indiuisili morbi insultu , & primo , morbi triduo , Galenus multa, lib. 1. criseôn. Tempora hec totius morbi , seu vniuersalia quatuor , æqualia non sunt: nec certo dierum numero comprehensa : non in diuersis tantum morbis. (Nam breuis & acutus morbus ea habet breuiora , quàm diuturnus) sed in eodem morbo , vnum altero nunc longius, nunc breuius:non semper æquale. Præter dicta temporum signa, morbi augmentum declarat accessionis anticipatio : vt declinationem,tardatio : non tamen omnis, neque sola.Nam quædam quotidianæ,tertianæ,quartanæ, ab initio ad integram solutionem , ob quendam morbi proprietatem, perpetuò anticipauerunt, vt aliæ perpetuò tardauerunt. Sed in his tamen anticipatio & tardatio, maior quàm proportio exigit , augmentum & declinatio-

nem declarat. Quæ verò augmentum acceſsio anticipans ſemper ſignificat: ſimul ſit longior,& vehementior, & malignior:& intermiſsio breuior,& impurior,& intolerabili or,cũ reliquiis magnis caloris, & febriliũ ſymptomatum. Cõtrà tardior acceſsio,& breuior,& ſimplicior, & mitior, & benignior:ſymptomatibus vel nullis omnino ſuperueniẽtibus,aut multò paucioribus,&minoribus,& ſimplicioribus factis:& intermiſsio longior, & purior, & integrior declinationem. Morbi magnitudo ſeu vehementia, & mos noſcitur: tum ex propria morbi ſpecie,conſiderando quæ propriam ipſius naturam complent: vt in pleuritide, dolorem lateris punctorium, febrem acutam,tuſsim,ſpirandi difficultatem, tũ ex ſuperuenientibus ſymptomatibus,multis,diuturnis,validis,malignis: vel paucis,breuibus,paruis,ſimplicibus.Horum enim peiora,augmentum: meliora,declinationem ſignificant. Cum verò quæ ad acceſsiones duas pertinent, æqualia permanent, ſtatus eſt tempus aliquando momentaneum:& adeò breue, vt ſenſu percipi nequeat:cùm videlicet acceſsio, aliqua augmenti ſigna habuit:ſequens,declinationis. Imo in primæ acceſsionis initio,principatum: medio, augmentum: reliquo, ſtatus interdum viſitur: acceſsione ſecunda declinationem faciente. Sed ſtatum præcognoſcere oportet, quòd ad ipſum inſpicientes, omnem victum inſtituemus: non autem,dum præteriit,cognoſcere. Febrium verò, vt aliorum morborum,conſtitutionem, ipſæ morborum ſpecies oſtendunt. (Nam cauſus,pleuritis,peripneumonia,breue habent principium:epilepſia,arthritis,iſchias longum) & anni tempora. Nam æſtiuæ quartanæ breues ſunt: autumnales,longæ:hybernæ,longiſsimæ.

Aph. 15. lib. 2.

Cur febrium & morborum aliorum acceſsiones, & conſtitutiones, nunc longæ ſunt, nunc breues.

EXCREMENTA, in partem aliquam debilem à validiore transmissa: vel calore, doloréve attracta: aut in ipsa ex proprio alimento, collecta: nec aliò expulsa ob facultatis expultricis imbecillitatem, vel viarum angustias, compressionem, contractionem, obstructionem tandem putrent: quia non vincuntur à calore natiuo partis, nec difflantur. Citiùs autem calida humida: tardiùs frigida sicca: & alia, pro ratione.

Dum verò putrent, quicquid à febrili calore attenuatũ est: per cutim, halitus modo, trãspirat. Reliquiæ verò paucę supersunt, si crassior est humor: nullæ, si serosior, quia in eo excremẽto aqueũ elementũ prępollet: non vt in lignis terreũ: à quo post vstionem, & humidi naturalis consumptionem, cineres multi supersunt. Pro portione autem transpirantium per cutim succorum, febres omnes minuuntur, & vbi transpiraverunt vniuersi, accessiones cessant: citius, tardius, pro humoris genere, qualitate, quantitate, & virium dispositione, & corporis habitu: talis enim citiùs quàm pituita exuritur, & quàm melancholicus humor: ob id accessiones puræ tertianæ, vt post audies, & constitutio breuis est: humor præterea tenuis quàm crassus, & virium naturalium præsertim coctricis, & expultricis robur quàm imbecillitas, & corpus rarum ac laxum meatibus quàm densum, & poris angustis breuiorem facit accessionem & constitutionem: breuissimam verò, si omnia simul adsint: vt longissimam, contraria.

At diariæ accessio legitima, quanquàm horas 24. non excedit: interdum tamen breuior, sæpe longior: ob caloris febrilis paruitatem, incensi spiritus crassitiem, virium imbecillitatem, cutis densitatem, quæ etiam sæpe diarias in putridas transfert: vt post audies. Hectica denique vnicam habet accessionem: vt diaria, & synochus: quæ longissima interdum est, priusquàm interimat, quòd humidum naturale, seu insitum & radicale partium solidarum, in quo accensa perseuerat, multum est, ac crassum, ac imputribile: & calor aut remissior est: aut victu refrigerante,

humectante, continenter obtunditur. Febres prorogant, affecta pars aliqua curatu difficilis: aut humor crassus, crudus, incoctus: aut peccatum medici, ægri, assidentium, exteriorum: vt temporis, regionis, cœli, status, domus prauæ, strepitus, solicitudinis, angoris.

Cur intermittentium accessiones, & continuarum reduplicationes, horis ferè certis repetant.

PARTES corporis singulæ, quandiu facultates suas naturales quatuor habent inculpatas: & alimentum ipsis simile, & æquale, eodem tempore distribuitur: similia & æqualia eodem tempore excrementa colligunt: & aliis, per vias communes vacuanda, certis periodis, transmittunt. Vti menstruæ purgationes, in sana muliere: deiectiones, vrinæ, & alia in sanis, similia & æqualia, & eodem temporis circuitu vacuantur: quandiu causa agens, seu facultas naturalis, coctrix præsertim, & expultrix æquè valida, & passum seu alimentum simile & æquale partibus attrahitur. Quòd si facultatis coctricis, & expultricis imbecillitas adsit, & excrementum ex pari alimento simile & æquale, partibus eodem tempore transmittitur, vel attrahitur, vel in his generatur & colligitur, nec à partis calore natiuo victum, nec expulsum, parti ipsi onus fit alienum qualitate, aut quantitate, aut vtraque: & putret, quia non difflatur: & dispositionem putrificam, in parte à prima accessione relictam, accipit (quomodo nidorulenta in vasis cocta, his nidorificam dispositionem impertiuntur) idque certis aliquot horis efficitur. Vnde fit, vt accessiones multæ, hora eadem repetant. Aliquando autem anticipant, ob causarum putredinis magnitudinem: aliquando tardant ob earum paruitatem. (Sed de anticipationis, aut tardationis causis plura mox audies.) Aliquando autem horis omnino incertis prehendunt. Quòd si facultas partis imbecilla permanet: & sanguis, proprium partis alimentum, similis non mittitur, nec æqualis: aliud tempus, sed breuius, ipsi

parti ſatis eſt: ad tanti excrementi collectionem, quanta parti ſit grauis, ob id excernēda. Hinc igitur acceſsionum longitudo inæqualis: atque etiam ex meatuum ſenſibiliū vel ſenſui occultorum anguſtia: & vaſorum obſtructione, à ſucco multo, craſſo, lento: & ſpatiis omnibus inter partes ſimilares conſtitutis, omnino oppletis in plenitudine ad vires. Acceſsiones verò ſine ordine repetunt: ob humoris multitudinem, vel prauam victus rationem. Sanguis enim putreſcens, portione tenuiore, in bilem flauam trāſit: craſsiore, in ſuccum melancholicum: vt ante docui, in ſanguinis cauſis, & ſignis. Per talem ergo humorum mutationem, circuitionis & acceſsionum ordo mutatur: & ex ſyncho putri fit continua bilioſa. Victus quoque prauus, ſanis quidem, morborum cauſa eſt, ac neutris recidiuæ: ægris verò, acceſsionum inordinatarū. Ob id per omnem inſignē errorem, in ſumendorum, admouendorum, educēdorum, faciendorum qualitate, quantitate, tempore circuitiones multùm anticipant: vel quaſdā alias à prioribus diuerſas, gignunt: à quibus acceſsionum ordo corrūpitur. Sæpe verò circuituum ordo corrumpitur, ob variarū febrium implexum: aut verius, corrūpi videtur. Nam re vera ordinum peruerſiones non ſunt. Ἀναπαλάσεις Galeno, cap. 10. lib. 2. febrium, ſeu ἐπαναλήψεις, cōmentario ſecūdo in li. 6. ἐπιδημιῶν, ſunt propriæ acceſsionis cum horrore quædam ingeminationes: vt ſemitertiana exquiſita. Hoc autem loco, tranſtulimus ad quaſdam febrium continuarum exacerbationes, intermittentiū paroxyſmis ſubſimiles. Quod ferè cū quodam partium extremarum frigore, imò cum quodam leui horrore, vel quotidie poſt meridiem, velut repetāt, ſi quotidianæ intermittenti ſint affines: aut tertio quoque die, ſi tertianæ. Nulla enim febris continua exquiſita, ſuapte ratione, cum horrore aut rigore exacerbatur.

De febribus diariis.

ἐφήμεροι ſeu diaria, in ſpiritibus noſtris omnibus accenſa, ob id dicta quòd ex ſua natura, eius tota conſtitutio acceſsione vnica conſtans, vltra viginti quatuor horas non extendatur. Has excitant cauſæ febribus *Cauſæ.*

aliis communes: præter putredinem. Motus tum corporis multus, & ab eo laſsitudo: tum animi, vt ira, furor, amor, cura, cogitatio, vigilia, mœror, timor, & alij animi affectus, præſertim vehementes, aut diuturni. Quies quoque, motui priuatiuè oppoſita: & omiſſa exercitationum conſuetudo: ſupreſsio calidi effluuij à cute denſata, per refrigerantia, ſiccantia, emplaſtica, vel aſtringentia, vt balneum aquæ aluminoſæ, vel ſimile. Quibus quod per cutim tranſpirat, acre, mordax, fumoſum, fuliginoſum eſt: non ſuaue, & vaporoſum, & halituoſum: vt in euchymis & ἰνκαύμοις apparet. Obſtructio mediocris, à ſucco multo, craſſo, lento, etiam diariam facit: ſi ab idoneo medico rectè curetur: alioqui putrida fit. Contractus calidæ ſubſtantiæ: vt aëris æſtiui, & meridiani, & ſub cane ſydere. Aeſtus enim ac inſolatus, caput primùm, & præter cætera, calefacit. Ignis quoque, & balneum, aut laconicum, feruentius, aut medicamenta actu, vel poteſtate nimium calida, corpori admota. Permiſtio calidæ ſubſtantiæ actu, & poteſtate: vt aëris prædicti, alimentorum, medicamentorum, venenorum. Sic ſatietas & ebrietas à vino generoſiore, caput calidis vaporibus, & cor citò replente & feriente. Quod ſi largius eſt potum, aut imbecillum, aut crudum: diariam quoque facit, ex cruditate primas venas obſtruente, habilem multum trâſire in putridam. Fames etiam, longior præſertim, in calida ſicca natura, etiam diarias excitat, propenſas tranſire in febres ardentes: & inde, aut etiam omiſsis ardentibus, in hecticas, etiam maraſmodes (præcipuè ſi ieiunium ſit triduanum) in calida & ſicca natura: per aërem calidum ſiccum, laborem, motus animi. Bubων quoque, id eſt glandula inflammata, ſi cum vlcere eſt manifeſto, diariam facit: ſine vlcere verò, febris ex bubone ſuſpecta eſt, ac mala, Hippocrati. Non tamen ſemper: vt oſtendunt bubones pueris, & adoleſcentibus crebri: & bubones venerei. Peſsima autem febris ex bubone, peſtilens. Vlcus autem manifeſtum capitis, bubonem in collo: manuum, in axilla: pedum, in inguine excitat. Ea autem diaria, eſt ſymptoma bubonis calorem febrilem in cor iaculantis: & bubon, vlceris: vt à coryza vel catarrho diaria, ipſorum eſt ſymptoma.

Aph. 55. lib. 4.

Signa omnium diariarum communia.



Calor mitis & blandus, omni diariæ communis est: non tamen proprius. Nam & febres pestilentes, calore vehementes non sunt. Gal. lib. 9. simpl. cap. de terra Armenia, in fine. Pulsus nullum habet imflammationis signũ, nullámque omnino inæqualitatẽ, in vna pulsatione: aut certè minimam. Paucæ enim admodum diariæ, in vno pulsu inæqualitatẽ ostendunt: neque eam manifestam. Sed pulsus naturalem inæqualitatem, mollitiẽ, ordinem, seruat exquisitẽ. Quãquàm communiter, pulsus est minor & frequentior: nonnunquam tamen maior: vt in ira, & furore, id est, diaria ab his causis. Vrinæ omnino similes naturalibus, aut parum ab his mutatæ: bene coloratæ, & ruffæ, cõmuniter omnib⁹. Quibusdam harũ, nebula: aliis, eneorema: aliis, hypostasis optima inest. Facilitas tolerandi accessionẽ, signũ diariæ maximum est. Ea enim mitissima est: quia calor omnibus (vt dixi) est vaporosus. Quibusdam, primo manu occurs: aliis, posterius. Adhæc symptomata maligna ab Hippocrate dicta, & morbis acutis attributa, in prognosticis, omnibus diariis absunt. In solutione autem accessionis, & pulsus sano prorsus assimilatur (cum in nulla febre alia, etiam intermissionẽ longã habente, vt tertiana, quartana, ad statũ naturalem redeat) & vrinæ ad suã naturã redeũt: aut saltem sunt multò meliores, quàm circa febris principium. Præterea quibusdam sudor æstiuus, aut saltem mador, & transpiratus halituosus seu humidus quidã vapor, ex intimo corpore exit. Et dolor omnino cessat capitis, aut partis alterius: qui cũ febre inuaserat. Imo loti balneo aquę dulcis & temperatę, meliùs habent, nec horrent, nec alia molestia capiuntur: sed cibati, & vino poti, omnino sibi restituũtur. Postea non febricitant: sed ad consueta opera tutò redeunt. Signa singularum diarię causarum propria, sumpta à calore, pulsu, vrina, colore, habitudine, hęc fere sunt ordine eodem. Laboris calor paulò acrior: pulsus magnus: si verò immodicè laborauit, paruus.

Cutis ſicca magis ad ſtatum vſque, quàm cæteris diariis. Poſt ſtatum verò, niſi ſupramodum laborauit, multis ex intimo corpore humiditas quædam, aut vapor calidus erumpit. Quibuſdam, poſt ſtatum ſiccitas perſeuerat: præſertim qui multùm laborauerunt, atque ſub ſole: vel qui refrixerunt. Iræ, furoris, calor maior: & è profundo celerius prorumpens. Pulſus magnus: vrina calidior, quàm acrior, nulla oculorum cauitas: nulláque manifeſta decoloratio. Triſtitiæ, curæ, cogitationis multæ mathematum, aut theoriæ alicuius calor moderatior, ſiccus tamen, pulſus minor: vrina acrior, quàm calidior: corporis extenuatio maior: ob id manifeſtior oculorum cauitas, & inſolita decoloratio, & ſiccitas. Vigiliæ, calor, pulſus, vrina, ſimilia: & oculorum cauitas, & pallor: ſed propria ſunt: facies ſubtumida: oculorũ motus ligati, & difficiles: multaq; in his humiditas. Aeſtus, calor primo manẽ occurſu acrior: ſed poſteà miteſcit: contra autem, in diaria ab aſtrictione.

Caput peruri videtur: quia primum, & præter cætera, à ſole incaluit: vtpote apertum, aut minus tectũ. Cutis quoque calidior ſiccior, quàm pulſus febrilem diſpoſitionem oſtendens. Ob id ſitis minor, quàm vbi intus & foris æquè calent. Oculi rubicũdiores, calidiores, ſicciores: niſi ſimul adſit coryza: aut catarrhus: qui affectus etiam à capitis frigore excitantur.

Imò diaria horum affectuum interdum ſymptoma eſt.

Vbi igitur caput impurum eſt ac excrementoſum: æſtus, venas oculorum, faciei, frontis, & temporũ, ſanguinis copia replet: & liquatis humoribus, coryzã & catarrhum excitat: vt frigus, cõpreſſis. Frigoris & denſationis ſeu aſtrictionis, cutis minus calida & mitior, occurſu primo manus peritæ: acrior, diuturno: minuſq; ſicca in facie, quã in diaria ab æſtu. Pulſus nõ minuitur: vt in diaria à mœrore, cura, vigilia, labore immodico. Vrinæ minẽ ruffæ. Corpus tumidius: aut ſaltem eius, dum ſanũ erat, tumor non colligitur. Oculi, neque cauí neq; ſicci: imò quibuſdam prominentiores & humidiores euadũt. Bubonis, calor plurimus vſq; ad ſtatũ. A ſtatu, emergit humiditas calida: ſed mitis, non acris, neque mordax.

Pulſus maximus, velox, frequẽs, æqualis. Vrina ſubalbi-

da,facies tumida,rubicunda.Ex his,& ſimilibus ſignis,medicus cauſæ externæ ſpeciem,quæ diariam hanc illi peperit, prædicere debet:non rogare, vel expectare ab ægro, aut aſsidentibus. Quam prædicendi facultatem qui habebit medicus,magnam ſalutis ſpem ægro excitabit: vt erraturus in curando non videatur. Si verò remanent adhuc in febriente animi affectus. (Nam aliæ externæ cauſæ, excitata diaria propè ſemper deſierũt)ex pulſibus cognoſces,& aliis affectuum animi ſingulorũ ſignis ante dictis.

Si affectus hi ceſſarint, remanet autem incorpore excitata ab his,vt cauſis aliis externis diſpoſitio:nunc ſine pulſibus (quia tunc animi affectuum debile ſignum exhibẽt) vrinas,& ſigna alia obſerua,prius dicta.

Diariarum curatio,tum omnium communis,tum ſingularum cauſarum propria.

OMnes diariæ curantur balneis aquæ dulcis & temperatæ,& laconico:niſi corpus ſit plethoricum,excremento ſum, putredini obnoxium. Id enim ex diaria per balneum, in putridam promptè tranſit.

Sed diariæ à cutis denſitate & bubone,mora in aëre balnei minuatur. Cæteræ ab eo aëre citiſsimè ſunt amouendæ: ſed in aqua diutius retinendæ. Oleo tepido, multo cum manu molli,plurimum omnes ſunt perfricandi: præſertim qui ex labore febricitant:deinde,qui ex meatuũ attrictione: tertiò,qui ex bubone.Sed hos tres ſæpiſsimè laua.Cibus paucus,frequens,ex labore febricitanti: parcior & tenuior victus,à denſata cute,aut bubone febricitanti:vt melicratũ, ptiſſana. Labori, cibus coctu facilis:ne in cruditatem incidat. Vinum detur,quantum æger poteſt:vincere: ſi vires,temperatura,ætas,conſuetudo,anni tempus,regio, & cætera conſentiant.

Buboni vinum circuncide, vſque ad phlegmones ſolutionem: & his quibus corpus eſt plethoricum. Cuti ſine corporis plenitudine denſatæ, mediocriter quidem, da

vinum:immodicè verò,nega:vt & plethoricis.

Vigiliis audacter da vinum:nisi caput doleat:aut pulsus temporum moleſtus ſentiatur.Quæ in aliis cauſis, quibus vinum daturus es,obſerua. Vigiliis,& aliis animi affectibus,à balneo da cibum humidum,euchymum.Iræ, furori, mœrori,curæ,cogitationibus,da vinum : furioſis nega,do nec à furore omnino quieuerint.Contrarium cuique cauſæ remedium ſemper adhibe. Labori,quietem : vigiliæ, ſomnum:iræ , furori , mœrori,iucunda omnia:ſermones, narrationes,actiones,ſpectacula:cogitationi,ratiocinationum ceſſationes. Buboni,vlceris curationem:deinde,bubonis:poſtremò,febris,adhibe.

Febricitantibus picrocholis diaria ex meatuum ſtipatione(quæ diaria rara , ſæpius enim putrida fit)ob retentam tranſpirationem excrementi acris & mordacis,ſaluberrima eſt lauatio ex aqua dulci& tẽperata,etiã frequẽs:&diu turnior,in primæ acceſsionis inclinatione. Frictio quoq; rarefaciens: vt mollis, & blandiſsima cũ largiſsimo oleo.

Exercitatio modica: victus ſuccos dulces efficiẽs:vt cremor ptiſſanæ,lactuca, piſcis ſaxatilis,aſelli in albo iure, vinum aquoſum. Alimenta enim boni ſint ſucci , & exquiſita,& quæ vtile in ſe plurimum contineant, non tamẽ omnino plurimum nutriant:vt panis purus,alica,oua,carnes. Nam picrocholi coctionem habent imbecillam:vel primam in ventriculo:vel ſecundam,in venis:vel tertiam, in ſingulis partibus. Vitabis autem minimum nutrientia: vt olera,fructꝰ,& acerba,auſtera,acida,ſalſa, amara,acria, & qualitatem aliam vitioſam habentia,ſuccúmque malum gignentia:mirificam διάχριτον,in cibi inedia:perquã calidę & ſiccæ picrocholorũ naturæ , acutiſsimis & acerrimis febribus corripiuntur:& poſt has,hecticis, & maraſmo torrido,& ſyncope,ſi os vẽtriculi iniuriis eſt expoſitũ. Naturã enim calidã , ſiccã, acrẽ,cibi mitiorẽ,& minus mordacem reddunt.Vitabis etiã iram,furorem,mœrorem,curam,cogitationem,vigiliã,vſtionem in ſole , fatigationem: exercitationem acutam,robuſtam , vehementem : frictionem nullam , velduram : lauationis abſtinentiam, lauationem frigidã,aluminoſam , niſi quod calidi ſolij aquã egreſſus, vnctus,frictus,frigida mergi , & frigidam bibere poteſt:

moxque in balneum redire. Quæ verò ſigna ſint picrocholorum, abundè legiſti in ſignis flauæ bilis largioris. Quæ alia ſunt remedia diariæ à ſtipata cute, in picrocholis & à cauſis aliis, lege libro octauo methodi.

De putridis febribus.

Vtrefactio, Ariſtoteli rectè dicitur fieri à calore alieno & externo: vt aëris, per æſtũ, & conditionẽ peſtilentẽ. Externus quoq; eſt calor quiuis, rei cõſeruãdę immodicus. Si enim calor humori eſt mediocris, coctionẽ facit eius, & conſeruationẽ. Si ab humore vincitur, paululũ quidẽ ipſum humorẽ putrefacit, multũ autẽ is calor extinguitur: ſi humorẽ plurimũ vincit, ipſum vrit. Ob id corpora animaliũ calida humida, præcipuè in loco calido concluſa, prõpte putreſcũt: niſi difflẽtur bifariã, expulſis quotidie. ſ. per cutim foras excremẽtis vaporoſis & fumoſis: ſed multò magis, attracta intrò aërea ſubſtãtia refrigerante, & vẽtilãte, & nutriẽte naturalẽ caliditatẽ. Ob id ex materia humida, omnis putredo, à cauſa effectrice externo & præter naturã calore fit, Galeno: & augetur immobilitate. Nã ſicca exquiſitè, nõ putrẽt: & putreſcibilia, in aëre frigido, diu imputria permanẽt: præſertim flatu aquilonio frigido, ſiue vẽtilata: & vitiũ captãt aër, & aqua, & veſtes, & alia: præſertim aëre calido humido, ni moueantur. Quæ omnia in animali præſtat arteriarũ motus: ſyſtole, & magis diaſtole, corpus difflãs. Vtrãq; hãc difflationẽ impedit plethora, ſeu omniũ humorũ æqualis in toto corpore redundãtia, ſeu plenitudo ſupra vaſorum capacitatẽ: & plenitudo itẽ altera, ſupra vires partiũ coctrices, & retẽtrices & expultrices. Quia vtraq; meatus, per quos difflari humores debẽt, obſtruit: vti & copia, & craſsities, & lẽtor humorũ. Nec ſola in profundo corpore obſtructio febrim parit: ſed etiã cutis dẽſata à frigidis, vel aſtringẽtib⁹, vel ſiccãtib⁹, vel emplaſticis: quoties quod ꝑ ipſam cutim trãſpirabat acre erat ac mordax, & fumidũ & fuliginoſum: quale picrocholis, & multis melãcholicis & malo alimẽto nutritis, & his qui ſępe malè coxerũt, aut medicamẽta acria ſumpſerũt laborarũt, vigilarũt, triſtati ſunt ĩmodicè, excerniẽ: ſed obſtructio, putridã: cutis dẽſata, phlethorã ĩ euchymis, ĩ caco-

Li. 4. me. theor. c. 1. Prob. 64. li. 1. Alexand. Aphrod.

Commẽt. 3. in lib. 3. epid.

chymis verò diariam initio creat, habilè transire, in putridã. Sanguis quoq; & quiuis humor alius, in parte animalis aliqua copiosior, & supra vires collectus, & infarctus, quia bifariã nõ diffiatur, nec à partis natura vincitur, putrescit.

Vnde tanta tumorum præter naturam & vtriusque generis abscessuum colluuies: quibus febres superueniunt nunc acutæ, nunc lentæ, nunc statim ab initio, nunc solum, aut magis, dum pus conficitur. Phlegmonis nanque internis, vt phrenitidi, cynanchæ, peripneumoniæ, pleuritidi, & quæ diaphragma, ventriculum, hepar, lienem, intestina, renes, vesicam, vterum exercent, febris acuta (præsertim cum magnæ sunt) vnâ cum ipsis inuadit: cum vero paruæ sunt, aut externæ, mitior & simplicior & diariæ affinis, post apparet: præsertim dum pus generatur. Quin & partium quarundam, tum internarum, tum externarum, putredo quædam paulatim lenta morte ipsas partes corrumpit. Id quod externæ, ante mortem: internæ, post mortem secto corpore, palam ostentant. Cum anteà nemo horum quicquam corruptum vel suspicaretur. Ob id quod harum partium alterationes, & solutiones continui, dum paulatim fiunt, rarò sentiantur ab ægris: etiamsi in parte sint sentiente.

Ex phlegmonis autem orta febris, symptωma est ipsarum phlegmonarum: ob id curatis phlegmonis, cessat: tamen cum rationem causæ phlegmonas augentis, & vires prosternentis, sæpe obtineat: non negligenda est. Sine phlegmonis verò, ex humorum putredine progenita, morbus est sui ablationem indicans per sibi contraria: vt in febrium curatione communi diximus. Febrium igitur ex humorum accensorum putredine ortarum, duæ sunt primæ differentiæ: febris morbus, & febris symptωma. At cum humores hi putrent in vasis omnibus, præsertim maximis & calidissimis, febres fiunt continuæ, sine vlla circuitione fatigantes, & hominem deurentes: donec gignentes eam humores, sint consumpti, aut concocti, aut vtrunque passi: nec partem vllam habent peculiariter affectam, vt quæ continuæ putres phlegmonarum internarum sunt symptωma: & intermittentes, & circuitione quadam repetentes. Hæ enim superueniunt dispositioni par-

Gal. cap. vlt. feb.

tium, excrementa aliundè missa recipientiũ, aut attrahentium, vel in se gignentium. Vel, cum Aphrodiseo, putridæ fiunt ex humorum putredine: continuæ quidẽ, in magnis vasis: intermittentes verò, in paruis. *Prob. 81. lib. 1.*

Aut etiam extra vasa, seu in habitu corporis, seu in carnibus tam externis cuti propinquantibus, quàm internis: vt in vasis, vel carne hepatis, lienis, renum, pancrei, vel capacitate ventriculi, intestinorum, vesicæ vtriusque. In quibus tamen, si magna est putredo, continuæ excitantur (vt in phlegmonis internis) non ampliùs intermittentes. Quem locum putredinis, per febres intermittentes, innuisse Galenus videtur: cum raras esse quotidianas, in quibus non efficiatur vẽtriculus: raram quartanam, illæso splene & stomacho. Cui addere possis, raras tertianas, illæso hepate & folliculo fellis. Vnde fit, vt recens ventriculi cruditas sæpe quotidianas pariat: quas leuat, vel soluit, vomitus pituitosus: & multæ tertianæ, à biliosis causis recentibus excitatæ, vomitu & deiectione bilis multæ plurimùm minuuntur, & interdũ soluuntur. Quomodo quædam quartanæ, vomitu nigrorũ, sanantur: quibus, opinor, vas à lienis sima amplius est, ad stomachum. Alioqui tutius deiectione curantur: vt Hippocrates innuit. Lien nãque per intestina fœliciter vacuatur: materia per splenicam, in truncum portæ, ac inde, mox in mesenteriam venam, transmissa. Vacuatur & per venas hemorrhoidas à splenica natas: & per mesenterium arteriæ ramum, in renes. Quomodo igitur putridæ febres aliæ intermittentes à congeneribus sibi continuis materia putrente non differunt: sed solo loco putredinis differunt: sic biliosæ. Nam bilis flauæ redundantia, tertianas & ardentes febres excitat: diuersas tantùm locis, in quibus bilis collecta putret. Per ardentes enim febres putret in venis, præsertim hepatis, & ventris. Per tertianas autem, in totius corporis carnibus. Prohibita nanque per cutim densatam transpiratione, quantum biliosis naturis in carnoso genere collectum prius per cutim purgabantur: nunc retentum tertianas creat. Febres verò ardentes rarò ex biliosorum excrementorum retentione gignuntur: sæpius ex caliditate in vasis & visceribus aucta, & aëre multum calido in flam- *Aph. 9. lib. 4. li. 13. me. Gal. com. 2. lib. 1. epid.*

mam conuerſa. Nos quoque crebra experientia conuincimur, febres putridas tum intermittentes, tum continuas ſæpe fieri, denſatis vel obſtructis poris & vaſorum oſculis tum externis ad cutim pertinentibus, tum internis ad ventriculum & inteſtina deſinentibus: dùm per hos à frigida, aut aſtringente, aut obſtruente cauſa occupatos, tranſpirare bifariam corpus impeditur. Id quod multò citius: ſi antè corpus labore, aut ratione alia incaluerit adeò, vt etiam ſudet, & tum moueri ceſſet. Si enim vel frigidius, vel craſsius & glutinoſius alimentum, vt vinum, aquam, lac, ſerum, fructus, homo larga manu confertim ſumpſerit (à quo ventriculi os, & hypochondrium, vel alterutrum, vel vtrunque dolebit) vel aëri frigido, vento, pluuiæ, terræ, lapidi, corpus expoſuerit: mox caloris & frigoris inæqualitatem ſentiet: & deinde febris ſignificationem. Citius autem, ſi intus & foris corpus denſetur: niſi mox ille quidem vomat: deinde calidum vinum, aut oxymeli Galeni, aut aliud facultate ſimile biberit: & partes ad ventriculum attinentes calorificis fouerit, Galenũ ſequutus: & calidus, in lecto collocetur. Hic verò corpus veſtiat, exerceat, fricet: ſoli, igni, balneo, laconico tradat. Sic enim febrem eam naſcentem vterque ſuffocauerit. Quæ enim febris in generatione adhuc eſt, ablata cauſa, hæc vnâ ceſſat: niſi corpus plethoricum, cacochymum, excrementis putrere paratis pleniſsimum ſit, & denſitas obſtructióque contumaciſsima.

li. 8. met.

Ex his patet, febres putridas intermittentes, atque continuas, ex denſatis vel obſtructis oribus & meatibus, internis quidem, vomitu & deiectione, tum ſpontanea, tum medica, mox vbi cœptæ naſci ſunt, & iuuari & ſæpe ſanari: externis autem, inſenſili tranſpiratione larga, aut madore, aut ſudore. Ob id cauſa etiam externa inquirenda medico eſt: non quòd ab ea, vtpote iam deſita, indicationem ſumat, ſed vt diſpoſitionem in corpore ab ea relictam, febris genitricem & fautricem cognoſcat & tollat. Quòd ſi febri à denſatione interna incipienti, ſudonis. tuẽd. rifica, aut vretica imperes: crudam ex venis primis materiam, vbi erat coqui habilior, in corporis habitum vix tandem eam cocturum, rapies. Qua de cauſa his, quibus in

Lib. 4. ſa

Lib. 1. ad Glauc.

ventre & primis venis recens cruditas eſt, phlebotome interdicit Galenus, quòd ſanguinem ſæpe bonum, ex venis vacuat: crudum autem ſuccum, ex ventre in venas traiicit. Sic etiam febri à denſata cute prodeunti, quæ intro cohibita excrementa rapiunt, inſalubria ſunt. Vbi verò iam morbus proceſsit, & coctus eſt: ſi per cutim vacuatio, à digerentibus, & ſudorificis, non ſufficiat: etiam purgandum per aluum, & vrinas: & in primorum vaſorum cruditate iam cocta, vrinis & ſudoribus ſtudendum: non ſolis purgantibus vtendum. Locus ergo putredinis per febres intermittentes, & ſæpe continuas, frequenter eſt in ventris inferni partibus: ventriculo, inteſtinis, vena porta, hepate, liene, ſæpe etiam in carnibus & corporis habitu: nonnunquam in ſpatio inter peritonæum & inteſtina: vt in febri aſcitæ & tympaniæ: interdum in thoracis ſpatio, aut pulmonũ carne, per febres empyorũ & aſthmaticorum, interdum in cerebro, & partibus ſubiectis catarrhum excipientibus. Quas febres medici in hos putredinis fomites vacuandos, & alterandos, & roborãdos, intenti: citiùs & tutiùs curant.

Porrò febris putridæ, ſeu ex humoribus in nobis putrentibus accenſæ, ſunt primæ tres differentiæ: pituitoſa, bilioſa, melancholica (ſynochus enim putris ex putrente ſanguine nata, ad bilioſam refertur, Gal. cap. 12. lib. 2. feb. & lib. 11. methodi & Aphrodiſ. probl. 81. lib. 1.) & harum vnaquæque, aut intermittens eſt, aut continua: quanquàm melancholica continua rarò viſa Galeno: & vtraque aut vera eſt, ſeu pura & legitima, ex humore vno aliquo, ſui progenitore ſolo, excitata. Altera non vera, ſed notha ſeu ſpuria, ex miſtis duobus aut tribus humoribus vnâ putrentibus loco interdum eodem, ſæpe diuerſo, profecta. Sed hæc compoſita eſt ac implexa, non ampliùs ſimplex, de qua agimus. Adhæc ad continuam pituitoſam, cauſus hybernus ſeu pituitoſus ab Hippocrate deſcriptus, refertur: ad bilioſam, cauſus æſtiuus ſeu bilioſus eidẽ deſcriptus, & Galeno. Peſtilẽs maligniorẽ & venenatã magis ſequitur ex humorum prauitate, & ſæpe ſpirituũ, putredinẽ: & anthracas, ex ſanguine perquàm calido, & per aduſtionem magis melancholico, nũc ſequitur, nũc præcedit, & procreat locis

Lib. rat. vict. acu.

Lib. 1. ad Glauc.

In fine c. 5. li. 1. fe.

variis: pro varia ſede fomitis malignæ illius putredinis.

Cap.6. lib.1.feb. Hanc tamen frequentiſsimè excitat aër putris, corruptus, & peſtilens, à cauſis variis vitiatus, & inſpiratus, & trāſum ptus per cutis poros, in vaſa ipſi adaperta: in raris corporibus magis, quam denſis. Cum tamen hæc, quàm illa, putredini à cauſis internis ſint magis obnoxia: vbi excremētis multis, & putrere parationibus, quia malè diffiantur, abundant. Synochus autem, ſcilicet non putris, ad diariam refertur. Gal. lib. 9. meth. quia vtrique vna & breuis eſt acceſsio: & calor blandior, quàm putridis.

Cap. 11. lib. 1. feb. Quin & ſynocho ſimilem facit hecticā Galenus, quod vtraque ſit homotonos, quum calore, & pulſibus, & aliis, multùm differant. Febris ſymptωma, ſeu ſymptωmatica, phlegmonas internas ſecuta, etiam continua eſt: & ad bilioſam, ſed mitiorem, refertur: ſi purior eſt phlegmone: ad bilioſam ardentiorem, ſi phlegmone eſt eryſipelatodes: ad pituitoſam, ſi œdematodes: ad melancholicam, ſi ſcirrhodes. Febris autem cum ſymptωmatibus, multò alia eſt: non noua tamen febris differentia: ſed morbus eſt cū ſymptωmate magno, medici ſolicitudinem ad ſe trahēte: febre in præſens omiſſa: vt cum lienteria, dyſenteria, inſomnia, lipothymia, ſyncope, & aliis in ipſius curatione repetendis: quibus ſuccurrere cogimur per ea remedia, quæ frequenter febrem ipſam augent.

Febris putridæ ſigna.

Cap. 9. li. 1. febr.

Alor putridis omnibus, tam intermittentibus, quàm continuis, eſt acrior & mordacior, quàm diariis, & ſynocho non putri: ſed magis in augmento, & ſtatu tum acceſsionis, tum conſtitutionis: & in bilioſis, ſtatim manum medici acrimonia pungit: mox autem à manu lenitus calor, miteſcit. In pituitoſis contrà: vaporoſus initio, nec mox ſe prodit: ſed aliquanto poſt emicat & manum medici mordet, ſed maximè inæqualis tanquam per colum aut cribrum tranſmitteretur. Sic qualitas

litas caloris, etiam humores febrim committentes, & febris ſpeciem maximè indicat. Caloris autem febrilis copia, in effluuij per cutim copia, ſemper poſita eſt. Calor & pulſus, initio acceſsionis & augmento, inæqualis: non tamen omnibus. Multæ enim ſine hac inæqualitate ſenſibili, ad ſtatum perueniunt. Inæqualis autem, non modò in multis, pulſationibus: ſed etiam in vna: quia diaſtole tardior: ſyſtoles autem velocitas, euidens in acceſsionis augmento: non tamen obſcura initio, & in vigore. Pulſus initio acceſsionum arctior, id eſt paruus, & inæqualis, & velox, quibuſdam adeſt. In vigore, magnus, velox, frequens. A nulla cauſa externa incipit recente, vt diaria: à qua tamen in putridam fit tranſitus, in vigore: ſæpius in declinatione. Cuius tranſitus ſigna docet Galenus. Cum ergo febris cum frigore, horrore, rigore, incipit: nulla externa cauſa prægreſſa: ſuſpicari oportet meatus corporis exiles, vel ad cutim ſolum, vel intus ſolum, vel vtrobique obſtructos eſſe, à cauſa aliqua interna: vt plethora vtraque, cacochymia, vſu largiore alimentorum ſuccos craſſos & lentos gignentium. Vtriuſque autem plenitudinis, & eius ſcilicet quæ ſupra vaſorum capacitatem eſt, & eius quæ ſupra vires animales, vitales, naturales exiſtit, ſigna ex libro Galeni, de plenitudine repete.

Ibidem.

Ibidem

Vrinæ putridarum febrium, calore, conſiſtentia, contentis, odore, multum variant: pro febris ſpecie, & temporibus acceſsionis, & conſtitutionis: vt poſt in ſingulis harum differentiis audies. Adhæc putridæ febres intermittentes, inuadunt: cùm frigore quidem partium extremarum & eminentium, vt naſi, aurium, pudendi, quotidianæ. Cùm horrore autem, quartanæ: ſed qui temporis proceſſu vehementior factus, ad rigorem accedit. Cùm rigore denique, tertianæ: qui etiam primo inſultu ſæpe magnus eſt, ac validus. Adde quod quartanæ rarò ſtatim ab initio prehendunt: ſed fere πλανῆτας πυρετοὺς, id eſt errabundas & vagas & chronicas febres, ſequuntur.

De febris quotidianæ cauſis.

Votidianæ febris ſimplicis ac puræ, effectrices cauſæ ſunt eędem, quæ pituitam largiorem in nobis gignunt: frigida omnia, & humida per ſe, & per accidens. Temperatura natiua, & acquiſititia: infantia, pueritia, ſenectus, mulier, eunuchus, conſueta victus ratio in ſumendis, admouendis, faciendis, educendis. Hyems ſuam ſeruans naturam: regio, cęli ſtatus frigidus, humidus: vita ocioſa: repletio non ſolum à frigidis humidis, ſed etiam à contrariis. Nam vinum, quanquàm calidum ſiccum poteſtate eſt: tamen largius ſumptum, pituitam, & morbos frigidos gignit. Sic ebrietas crapula, cruditas, balneum quoque, & labor mox à cibo, præſertim multo, & cætera ſimilia prius ſcripta in cauſis pituitæ. Quæ putreſcens, & per partes ſentientes à natura pulſa, cauſa eſt interna & continens febris quotidianæ intermittentis: ſiue in primis venis à porta ortis, ſiue in vltimis à caua natis, ſiue extra ipſa vaſa, & in carnibus viſcerum, vel aliarum partium, ſiue magnis ventriculi, inteſtinorum, cerebri, pulmonis, & aliarum partium capacitatibus collecta, putreſcat. Quorum locorum quædam etiam continuam pituitoſam gignunt. Febris quoque pituitoſa à coryza & catarrho, Hippocrati eſt vti & practicis, nunc intermittens, nunc continua: & interdum exquiſita: ſæpe miſta cum tertiana.

Lib. 3. tẽperamẽt.

Libro 6. epid.

Tuncque tertiana eſt notha.

Quotidianæ intermittentis ſymptωmata, & ſigna.



Alor vaporoſus, & humidior, primo manus medici occurſu, potius quam mordax: immoranti autem manui, paulatim acer ſentitur: tanquàm fumoſus calor, cùm multo vapore miſtus, foras per cutim exiret. Quomodo ſi ignis lignorum viridium, in humore ſuffocaretur magis, quàm ipſum vincere poſsit. Ob id maximè inæqualis eſt calor:

tanquàm per colum aut cribrum tranſmitteretur: per quorum foramina vapor tranſmiſſus, calfacit plenius manum tangentis, quàm quod pororum interualla attingit. Cum frigore partium extremarum inuadit initio, & procedit: nunquam cum rigore: interdum tamen cum leui horrore potius, quàm cum rigore. Pulſus inæqualis, inordinatus, paruus, debilis, tardus initio acceſsionis: in augmento, vehementior, maior, velocior: ſed obſcurè: vt in tertiana, manifeſtè. Pulſus enim quotidianæ, tantò minor pulſu quartanæ: quantò quartanæ pulſus, quàm tertianæ, minor eſt. Pulſus item rarior, quàm tertianæ: frequentior, quàm quartanæ: ſed quotidianæ & quartanæ, eſt æquè tardus. Quotidianæ ergo, minimus eſt, rarus, tardiſsimus. Tertianæ, maximus, velociſsimus, frequentiſsimus. Quartanæ, paruus, tardiſsimus, rariſsimus. Pulſus autem inæqualitas, paruitas, debilitas initio & primis diebus incrementi, quotidianæ adſunt: tertianæ autem, acceſsionis initio, adſunt quoque: ſed citò abeunt: præcipuè ipſa inæqualitas: quæ magna ex parte cum prehendente hac febre non adeſt, neque eam comitatur. Vrinæ primis diebus albę, tenues, & aquoſæ: quales quartanis incipientibus: vel craſſæ, & turbidæ. Aliæ autem procedente morbo apparentes, ipſius tempora oſtendunt. Quotidiana ęgrè accenditur, & tardè mouetur, humore ipſius meatibus ſæpe hærente: lõgum habet incrementum, aduſque vigorem, quia humor, in quo conſiſtit, natura frigidus & humidus eſt, ac ſæpe conſiſtentia craſſus & glutinoſus, vires interdum premens, frangens, grauans. Acceſsio quam tertianæ, longior: intermiſsio, impurior: & quæ putreſcentis humoris indicium in calore, & pulſu, ſemper feruet. Quod etiam manifeſtiſsimum eſt, in acceſsionis principio, & augmento. Plerique tamen, vbi vera eſt quotidiana, puram illi tribuunt intermiſsionem, quanquàm ſit multò quàm tertianæ, impurior. Nam per inclinationes acceſsionum, integrè non purgatur: ſed multã pituitam velut ſuccenſam, in corpore relinquit: à qua impurior intermiſsio, & ſecũdæ acceſsionis principium maturius.

Nam q̃ in acceſsionibus relinquũtur, recidiua acceſſiones accelerãt & augẽt. In ea ergo paucę ſunt euacuationes.

Nam declinatio primarum acceſsionum ſudore non finitur: vt tertianæ, quartanæ.

Ob id ad integram quietem paucæ quotidianæ perueniunt: procedente verò tempore, ſudant. Vomitus tamen illi ſunt ſæpe pituitoſi. Deiectiones pituitoſæ, frigidæ, humidæ, aquoſæ, crudæ. Nam corpus totum crudis humoribus plenum eſt: & os ventriculi, & hepar illis fere laborant, ob multas cruditates præcedentes, & coquendi tarditatem. Vnde illis ructus ſunt acidi: & hypochrondria, febris initio, multis intumeſcunt, inflantur, diſtenduntur. Color cum pallore albus, etiam vigente acceſsione. Quotidiana minus ſiticuloſa, quàm quartana: & hæc, quàm tertiana. Non enim deurit: nec corpus nudare, & palia ac ſtragula iactare, cogit: nec multum, & ſæpe inſpirare, & velut flammam ore efflare, & frigidum potum appetere, vt tertiana. Cùm igitur in quotidiana, lingua & corpus totum ſit humidiſsimum: in tertiana, ſicciſsimum: in illa, minimum ſitiunt: in hac, maximè. Nihil igitur cum tertiana commune habet quotidiana: ad quartanam propiùs accedit.

Quotidianas febres multas, populariter graſſantes, ſignis quotidianæ accenſet poſt Archigenem, Galenus: & in aliis omnibus febrium differentiis, ſimiliter. Quotidianæ, in his regionibus frigidis, humidis, ſeptentrioni propinquantibus, & victui ob aëris frigiditatem, largiſsimo & eidem crudo magis, & excrementoſo aſſuetis, ſunt frequentiſsimæ. Quas à duplici tertiana facilè ſeparabis: ſi vtriuſque ſpeciem, & cauſas longè pugnantiſsimas, & ſymptomata obſeruabis. Adhæc quotidianæ prehendunt poſt meridiem, præcipuè ad veſperam & noctem: non manè, nec vſque ad meridiem: vt de febre parua, à crudi ſucci copia ventriculum premente, probat Gal. libro 12. meth. Tertianæ ſæpius manè, & circa meridiem. Quin & quotidianæ acceſsiones, inuicem omnes ſunt ſimiles: etiam ſi quædam perpetuò vel anticipent, vel tardent: vt in aliis quoque duobus generibus. Cocto autem iam morbo procedente tempore, acceſsionum magnitudinem & vehementiam miteſcere, id ſalubribus morbis omnibus commune eſt.

Vbi verò duæ ſunt tertianæ, ſic implicatæ, vt vna quotidie acceſsio fiat: tunc tertia, quinta, ſeptima & aliæ diebus imparibus conſequutiuæ, erunt ſimiles omnino, caloris ſpecie & ſymptomatis, primæ acceſsioni, ſecundæ autem, quarta, ſexta, octaua, & cæteræ omnes diebus paribus repetentes. Quapropter rectè nos admonet Galenus exerceri in typis ſimplicium febrium: ne duas tertianas, vnam quotidianam: & duas quintanas, vnam tertianam putemus. Quo medici errore, nihil grauius ægro poteſt contingere. Nam alius erit vigor duarum tertianarum, & vnus quotidianæ: & alia victus ratio inſtituenda: vt interim omittam in tertiana duplici, omnia frigida humida multum conuenire. Quòd talia, & febris cauſa, & febris ipſa poſtulet remedia: quum in quotidiana, indicatio à cauſa, calida ſicca poſtulet: indicatio à febri, ſemper frigida humida.

Sed cùm abſurdum ſit, in quartana & quotidiana exquiſita, colligi amaram bilem exiſtimare: vt in tertiana & cauſo: nec in illis, vt in his, fiant vacuationes bilioſæ, per vomitum, aut deiectionem, aut vrinas, aut ſudores: multæ febres quæ quotidianæ putantur, videri poſſunt tertianæ duplices: quia in harum plurimis, vomitus fiunt bilioſi. *Libro 2. feb. ca. 1.*

At verò bilis admodum pauca, cùm plurima pituita, in his fere excernitur: & ea bilis, vel à folliculo in ecphyſin vomenti, impetu trahitur, ac inde mox in ventriculum regurgitat: quod multum & moleſtè vomentibus propè omnibus commune eſt: imò & ſanguinem tandem euomunt. *Libro 2. aliment.*

Qualis humorum ſequi paratiorum ordo eſt in hypercathar: vel bilis ea in ventriculo eſt genita: vt de porracea diximus.

Vel etiam pituita in ventriculo aſſata, calida fit & ſubamara vt lib. tertio, locor. affect. capite ſexto, in melancholia flatuléta: vti etiã aqua in bilem abit, Hippocrari, in ventriculo ieiuno picrocholi, per morbos acutos calidiſsimo. *In diæta acutorũ.*

Pauca autẽ ea bilis multæ pituitæ miſta: & calorem vel viridem, vel flauum: & ſaporem amarum facilè impertit.

Id quod etiam in liquoribus externis, crocea, viridia, amara, probant.

Ob id Galenus quæ febres has præcesserunt causæ: & quæ accessionibus adsunt symptomata, diligenter inspicienda censet: ne circuituum phantasia nobis imponat in typis deprehendendis: per quæ omnia tertianas duplices à quotidianis facilè distinxeris. *Libro 2. feb. cap. 1.*

Adde quod, vti flaua bilis per ecphysin effusa intestina, ipsorum pituitã largiter, & potenter detergit, amara qualitate sua: sic eadem bilis, ventriculum pituitoso excremẽto, magna quidem molestia, sed successu fœlici, per vomitum & interdum deiectionẽ vacuat: vt sequatur accessio, & constitutio breuior, & toleratu facilior.

Postremò cum sapor salsus, pituitæ humorum soli proprius sit: is autem amaro sit proximus, imò idem, si paulò magis vratur: mirari neminem oportet pituitam in bilem flauam, ac inde in atram permutari. Sunt igitur hæ febres quotidianæ: & hæ, aut exquisitæ, aut nothæ: non tertianæ duplices: nisi signa tertianarum adsint, vel omnia, vel saltem præcipua.

Quotidianæ curatio.

SI febris adhuc in generatione est, ablata causa simul cessabit: si partim genita est, partim adhuc in gignendo, portionem genitam alterantibus moderatè, si magna est febris (id quod rarum est) curabis: partẽ quæ gignitur, perfici prohibebis ablata causa obstruente, hoc est humore frigido humido, sæpe etiam multo, crasso, lento. Vacua igitur primò redundantem in ventriculo pituitam: per cassiam, aut catholicum. Si autem nulla recens cruditas præcesserit, clysteres ex hydromelite & oleo, aluũ subduxisse sat est: ac simul pugnare victu idoneo, & incidẽte, tenuante, tergẽte sine calore manifesto: præsertim si febris validior est. Ob id post dies primos da oxymeli Galeni, & alia vretica, & omnia ad aperiendũ efficacia. Circa statũ, vẽtriculi & præcipuè oris eius, habe rationẽ. Deinde vomitũ excita, per raphanidis succũ, & largũ oxymeli: post cibos incidentes,

& tergentes,& tenuantes ſumptos. Phlegmagωgis etiam vtere,vt diacnico Galeni.Cætera,in ſcopos febrium communes intentus,inueni.

De febre epiala.

Li.2.feb. cap.6.

Ituita acida,ſiue vitrea, ſeu crudus humor, ſi mouetur tantũ per partes ſentiẽtes,rigorẽ facit ſine febre:ſi etiã putret,mediocriter quidẽ,epialõ: in qua febricitãt & ſimul rigent per totã acceſsionẽ:illud, à pituitæ crudæ portione iam accẽſa:hoc, à nondũ accenſa, idque per ſingulas corporis partes. Si autem magis putret,rigor ſeu horror precedit,& febris in forma quotidianæ ſequitur ; frigore ita victo per multum calorem,vt per incrementum non amplius appareat: multo minus,per vigorem.Rariſsima hęc eſt,& admodũ diuturna,ac ſolutu cõtumax.Mulieribus aquę potui,& fructuũ eſui immoderato,&intẽpeſtiuo,multũ aſſuetis familiaris. Nocturnæ & diurnæ febres,id eſt,nocte & die exacerbantes, Hip.frequenter commemoratæ,lib.1.& 3.epi. Galeno ad quotidianã reducuntur.Lapyria febris (per quam intus & in viſceribus calorẽ ſentiunt,& vruntur:in externis verò partibus vniuerſis frigent)& typhodes à qua fiant materia,Galenus(quod ſciam)non ſcripſit:nec poſt eum Paulus,ſed Aëtius. Tamen hanc ab humore bilioſo aut melãcholia fieri,vocis etymõ ſatis declarat.τύφω enim incẽdo. Lapyria item,in qua intus ſemper vrũtur , & ſemper foris frigẽt , magnum aliquod in viſceribus incendiũ oſtendit: idq; perpetuum. Tale præterea quoddam ardẽtium febriũ pernicioſum genus,Hippocrati eſt.In febribus non intermittentibus,ſi exteriora frigẽt,interiora vruntur, & ſitim habent:lethale.Quod Galenus explicat in cauſo pernicioſa,vel febrib⁹valde malignis:vt lapyriis.Nulla verò febris alia,perurit interiora cute refrigerata. Nã vehemẽs phlegmone,vel eryſipelas in corpore profundo,ex toto corpore ſanguinẽ ad partẽ affectã trahit:ob id interiora vrũtur: & cutis ſanguine deſtituta friget: vt ĩ principiis acceſsionũ.

Commẽt. 3.in lib.3. epid.li.de inequali intẽperie.

Lib.1.feb. cap. 9.

Ap.48. lib.4.

De tertiana pura.



Ertianæ puræ, genitrices cauſæ omnes calidæ & ſiccæ, ob id bilem augentes: temperatura, ætas iuuenilis omnium bilioſiſsima, cõſueta victus ratio per alimenta calida, ſicca, pauca, aut inediam cum labore, cura, vigiliis, mœrore in aëre calido ſicco, qualis æſtate ſuam naturam ſeruante: per medicamenta calida ſicca, crebra: & cauſæ cæteræ bilis generatrices, prius ſcriptę: quæ etiam tertianam continuam, & cauſon huic ſimilem, ſed vehementiorem, & morbos alios bilioſos gignunt. Febris igitur tertiana, τριταίος quidẽ eſt: & cũ τριταία conuenit, materia bilioſa, & acceſsionis vehementia: ſed ab ea differt, quòd tertiana ſemper inuadit cum vehemen-

Gal. aph. 59. lib. 4. ti rigore, id eſt, omnium corporis partiũ concuſsione: quã bilis flaua per totum corpus vehementer delata, excitat: & accenſa putret: donec bilis, vomitu, aut ſudore, aut vrinis, aut deiectiõe, aut duobus, aut trib⁹ aut omnib⁹ ſimul, vacuetur, & ſuccedat intermiſsio ad ſenſum integra. In ardẽte autẽ febre, nulla eſt acceſsionum ſingularũ, ſeu exacerbationum intermiſsio: & bilis cum ſanguine in vaſis cõtinetur: & vehemẽter agitata, efferueſcit: nec vacuatur, donec à victrice natura per corpus expellatur, in fine totius morbi, cum rigore: cui ſuperuenit ſolutio, vt Hippocrates ſcripſit. A febre ardente habito, rigor ſuperueniens febrim ſoluit: niſi die ſexto ſuperueniat. Tunc enim difficilẽ criſin ſignificat, & niſi vires ſint debiles. Nam ſi rigor incidat in febre non intermittente, ægro iam debili, lethale eſt, aph. 46. lib. 4. Rigor autem per ſe, febrim ardentem nõ ſoluit: ſed poſt rigorem bilioſorum excrementorum reliquiis velut cinefactis, vacuatis vomitu, deiectione, vrina, ſudore.

Aph. 58. lib. 4. & pag. 40. epid.

Hunc verò rigorem excitat bilis, ſentientia corpora, per quæ vehementius mouetur, pungens, feriens, ſenſum inæqualem excitans. In tertiana quoque calor, initio quidem, manui medici mordax: ſed mox ſub manu miteſcit, & cum vapore quodam effertur: cũ in febre ardente, præ-

ſertim mala, quantò diutius manus admouetur: tantò ſem per grauior & moleſtior appareat. Acceſsio tertianæ exquiſitæ, horas duodecim non excidit: & ſeptem circuitibus, vt tardiſsimè finitur ſeu à quinto circuitu, ad ſeptimũ pag. 194. epi. Quæ tertiana eſt exquiſita ſeu à cauſis omnibus biliosis nata, ſic habet: ſi verò acceſsionem habeat lõgiorem, & intermiſsionem breuiorem, tertiana ſimpliciter, vel tertiana non exquiſita dicatur Galeno. Extenſa autem, ſeu producta, quæ hac longiorem habet acceſsionem, & breuiorem intermiſsionem.

Ap. 59. lib. 4. Commẽt. 3. in lib. 1. epi. & li. 2. feb. & com. 2. in lib. 6. epid.

Tertianæ puræ ſymptomata, & ſigna.



Auſæ omnes calidæ ſiccæ, temperatura, conſueta victus ratio, ætas, vitæ conditio, labor, animi affectus, aër æſtiuus, & cætera prius dicta in cauſis auctæ bilis.

Hæc enim omnia exquiſitæ tertianæ adſunt. Cũ rigore inuadit valido, tanquam aliqua re acuta corpus pungente, & ſentientes partes vulnerante, ob actem bilis naturam. Si autem paruus erit rigor, aut verius horror, aut tãtùm frigus: quotidiana, quartana, hemitritæus, vel alia cõtinua, eſſe poteſt. Tunc, ob id, ſigna alia tibi ſpectanda.

Calor autem, mox vbi rigor ceſſauit, accenditur luculentus: tanquam ignis quidam planè purus, & in quo nulla eſt fumoſa caligo. Is autem febre aucta, plurimus eſt ac mordax, & ægrum adeò deurit, vt corpus nudare, ſtragula iactare, multum & ſæpe reſpirare cogat. Velut enim flammã ore efflat: & aërem potumque frigidum appetit. Tuncque calor vbique æqualis: nec maior thoraci, quàm extremis.

Pulſus acceſsionis initio, debilis & paruus: tardus quoque & rarus: ſed minus, quã quartanæ: imò tarditas ad ſtatum naturalem propè accedit. Initio igitur acceſsionis tertiana ex pulſu cuiuis eſt notiſsima, ordinato æqualique in vna percuſsione, & in multis. Id quod rarò acceſsionum principiis accidit: ſed notior eſt in augmento.

In hoc enim pulſus æqualis, liber: ſtatimq; magnus, ve-

hemẽs, velox, frequẽs, calidus: & omnis inæqualitatis, præterquam febrilis, expers: & paulò post viget. In declinatione, sed magis in intermissione, magnus, vehemẽs, velox, frequens: qualis sanorum, qui se exercuerunt: aut, balneo temperato lauerunt. Pulsus ergo debilitas, paruitas, & inæqualitas, quæ tertianæ accessionis initio adsunt, citò abeunt: præcipuè inæqualitas: quæ magna ex parte, tertiana inuadente non accidit, nec eam comitatur. Ob id tanquam non esset, omittitur: & æqualis pulsus dicitur. Vrina tertio die, aut saltem quarto, coctionis signum habet. Quod si in primo circuitu, vrina reducitur subruffa, aut subflaua, & mediocriter crassa: & quæ paulò pòst, nebulã al bã habeat, aut eneorema: vltra quartũ circuitũ nõ ꝓcedet.

Si verò in primo circuitu ruffa quidẽ, sed sine nebula, aut eneoremate: ad circuitus septem extendetur. Quòd si statim primo die hypostasin læuem & æqualem habeat: simpliciſsimam illam tertianam puram indicat.

Hipp. lib. 1. epid. Ap. 59. lib. 4. Tertiana exquisita celeriter iudicatur: & lethalis nõ est. Tertiana pura, quæ longissima est, septenis circuitibus finitur: accessioneſque habet longissimas, horarum æquinoctialium. 11. vel 12. breuissimas verò quatuor aut sex: in medio, magna est maioris & minoris ratio, pro bilis quãtitate, & qualitate, & motu: ægri tum viribus, tum præsenti dispositione. Nã bilis largior, crassior, quietior, corpus imbecillũ dẽsum, sensus obtusior, longiorẽ facit accessionem & constitutionẽ: parcior, tenuior, vehemẽtius mota, corpus robustũ rarum, sensus tactus exactior, breuiorem.

Cum verò iam bibendi tempus est: statim à potu vapor plurimus, calens, per cutim exhalat, sudoris calidi, & bilio si per totum corpus, æqualis nuncius: & vomitus superuenit, bilioſus, vrina bilioſa, deiectio bilioſa. Vnũ, duo, tria, quatuor interdum simul concurrunt. Post quas vacuationes, propria febrium inæqualitas in pulsu manet. Cum verò tertiana multò calidior sit: intermissionem habet puriorem, quàm quotidiana: quia humoris bilioſi accensio facilis est: & eius, quantùm per accessionem est feruefactũ, promptè expurgatur. Ita vt post accessionem exiguum putridis caloris vestigium remaneat.

Nam ipsa intermissio, post accessionem, signũ putredi-

nis in pulſu obſcurum habet,ac imperceptibile: & eò magis,quò propinquior eſt acceſsio ſecunda. In cuius principio,& augmento,ſignum putredinis,in pulſu clarius apparet:quòd in ſtatu minuitur: & multò magis in declinatione. Qua ex cauſa breuis eſt tertiana exquiſita.Sitis eſt vehemens. Multæ tertianæ populariter vagantur. Hæ, omnium intermittentium acutiſsimæ ſunt,& breuiſsimę: ſed mitiſsimæ & periculo carentes. Cum quotidiana ſit longa: & quartana longiſsima. Hæc omnia, vel horum plurima & præcipua,ſi adſint: ſcito eſſe tertianam puram: perinde ac ſi tertio die acceſsionem vidiſſes. Si plura autem,vel præcipua,deſint: tertiana eſt impura, huic maximè contraria. Ex quibus extremis, multæ in harum medio conſiſtentes deprehenduntur.

Tertianæ febris puræ curatio.

TErtianam febrem puram,quia calidiſsima & ſicca, & fit ab humore omniũ qui in nobis ſunt calidiſsimo & ſiccisſimo, modis omnibus refrigera & humecta: tum per ſe,tum per accidens. Per ſe quidem aëre inſpirato frigido humido: cibis refrigerantibus humectantibus,quantũ facile coxerit:vt lactuca,oxalide,cucurbita,cucumere,atriplice,blito,malua,pane eloto, vel hordeaceo recenti,cremore ptiſſanæ vel alicæ, piſcibus ſaxatilibus,auibus carne molli præditis,aut aliarum aliis,teſtibus gallinaceorum,ſuum adoleſcentũ pedibus & cerebris, porcellorum carnibus percoctis, ouorũ ſorbilium vitellis mollibus (quia facilius quàm albumina coquuntur.) Fructibus coctu facilibus. Vino aquoſo,tenui,pauco:vbi morbus coqui cœperit. Nam initio negandum eſt. Vbi iam propè ſolutus eſt morbus, largius: nunquam tamen vetus, & natura calidum. Mel quoque, ſalſa, acria omnia vitet. Hæc victus ratio, plurimis & delicatis confert. Non delicatis autem ptiſſanæ cremor ad criſin vſque ſuffi cit, authore Hippocrate. Per accidens verò, ſeu per calidæ ſiccæ bilis vacuationem, refrigerabis & humectabis. *Lib.de ra tione vict. acut.*

Vacuatur autem, per vomitum quidem: quando ad ventriculum ſponte naturæ ſuæ repit. Vt aph. quarto & ſexto: libri quarti. Per deiectionem verò, ſi ad inferiora vergit, cum mollibus clyſteribus: niſi per ſe ſatis eò deſcendat. Per vrinas etiam, potione in qua apium vel anethum maduit. Per ſudores denique, balneis aquarum dulcium tẽperatis: etiam crebris, ſi his delectatur, & in declinatione morbi totius: quam ſigna coctionis in vrina oſtendunt. Bilis enim aliquid per cutim vacuant, & corpus humectãt. Quin & coctionis ſigna ſi apparuerint: da hydromeli, in quo abſinthij Pontici coma intincta fuerit. Quæ etiã ventriculum à bile offenſum mirè firmat.

Tertianæ nothæ, ſeu ſpuriæ & impuræ, cauſæ, ſymptomata, ſigna.

AEc cum ex bile flaua & pituita fiat, Galeno: vel etiam humore melancholico, Arabum familiæ: horum humorum genitrices cauſas, ex prioribus repete, & fuge. Adoleſcenti candidiori, pingui, otioſo, crapuloſo, pleniori, balneis plurimis vſo, eſt familiaris.

Cum horrore inuadit. Calor quàm tertianę, obſcurior: quàm quotidianæ, manifeſtior. Pulſus minor, tardior, rarior. In dies autem durior factus, multorum menſium febrem indicat. Longa enim eſt, natura: præſertim cum prauo victu: ita vt ab autumno ad ver, interdum duranerit: nec ſine ægri periculo.

Quòd is medicorum præceptis non paruit, & ab hyeme læſus eſt. A quibus cauſis lien intumuit: hypochondria flatibus repleta ſunt: facies, & magis crura, decoloria & ſubtumida euaſerunt.

Cum verò pulſus molleſcit: & breuior fit acceſsio: & vrinæ initio multum crudæ, conſiſtentiam meliorem habent: ſolutionem oſtendunt: ſed nullo bilis vomitu, cum ſudore pauco: aut eius loco, tantum cum humido vapore tardius ſuccedente, nec febrem omnino extinguente: cum in pulſu febris ſignum adhuc appareat. Hæc, cum

sit ex bilioſa, & pituitoſa compoſita, ad implexas febres referri potuit. Nos autem Galenum ſecuti, hanc tertianis, ob affinitatem, ſubiunximus.

Tertianæ nothæ curatio.



Victus ratio nonnihil calfaciat, & incidat: non autem corpus totum refrigeret, humectet: vt in tertiana pura. Cibus alternis diebus detur, per intermiſsiones. Nam in acceſsionibus cibum dare noxium eſt. Detur autem, quantum morbi magnitudo, & longitudo, & vires robuſtæ, vel imbecillæ, poſtulant: ſorbitiones coctu faciles, cremor ptiſſanæ cum pipere. Oxymeli potum multos iuuat. Mulſum, cui hyſſopum vel origanum vel ſpica nardi infuſa ſit, bibat, & alia vretica: modò nimis calida ſicca non ſint. A die ſeptimo, detur aſsiduè abſinthij coma. Ventrem aſsiduè moliiter ſubducat clyſteribus non ita mollibus, ſed ſubacribus. Hypochondria calefiant. Vomitus poſt cibum, febre iam diminuta, ſolus multos ſtatim ſanauit. Balneum adhibeatur: dum coctionis ſigna apparebunt. Sanguinem, ſi mittendum iudicabis, ab initio ſtatim mittas: quantum ægri natura, vires, ætas, conſuetudo, aër, morbus, poſtulant.

Quartanæ veræ effectrices cauſæ.

Olus humor melancholicus, id eſt frigidus ſiccus temperie, putreſcens & per cor pora ſentientia delatus vehementer, natura corporis melancholica magis, ætas inclinans, autumnus ſuam ſeruans naturam, hoc eſt inæqualis, & veſpere, nocte, manè frigidus ſiccus, die autem reliquo calidus ſiccus, & ver autumno ſimile, & regio, cœli ſtatus, vitæ conditio tristis, victus ratio tota frigida ſicca, & quæ alia prius ſcripſimus in cauſis humoris melancholici & atræ bilis. Hic autem humor paulatim ſuccēditur: vt lapis, & aliud quoduis

Cap. 5. lib. 2. feb.

Aph. 21 & 22. lib. 3.

corpus frigidum ſiccum. Vbi verò flamma ex eo accenſa eſt: nihil relinquit fumoſum, aut ſemiuſtũ, poſt accenſionem: & ob id euacuationes fiunt plures ex tali humore, quàm ex pituitoſo: & intermiſsio planè pura eſſe videtur: eò quòd hîc, omne id humoris melancholici quod eſt accenſum, vacuatur & diſcutitur. Homo ſplenicus eſt, ſeu liene eſt imbecillo & tumido: vel natura, vel ex prauo victu cruditates multas gignente, & ventriculum, hepar, lienem, venas meſaraicas, pituita & flatibus implente. A qua in his regionibus quartanæ febres fiũt quamplurimæ, pueris, mulieribus, & aliis melancholicum nihil oſtendentibus: ſed candidis, pituitam vomentibus & deiicientibus craſſam, & lentam. Omnis autem humor craſſus quodãmodo melancholicus eſt. Ob id ab vtroque fieri ſolet epilepſia, lib. 3. loco. affect. cap. 5. Ab eadem materia, pituita in quam, in hypochondriis corrupta magis, aut etiam vſta, melancholia fit flatulenta ſeu hypochondriaca.

Gal. lib. meth. 13. initio.

Mœror autem & timor magnus, & diuturnus, ex cauſa fere manifeſta, etiam cauſis accenſetur. Cum autem hæc ſine cauſa externa euidente adſunt, ſigna ſtatuũtur. Quin ſi timor, & mœror ſine cauſa manifeſta inceperint aut cũ cauſa manifeſta inceperint, & longo tempore perſeuerẽt: melancholia ſignificatur.

Aph. 23 lib. 6. & 41, lib. 7.

Pura & vera eſt quartana: cui cauſæ prædictæ, & ſymptωmata, ſignáque ſequentia, adſunt omnia. Impura autem, cui multa, aut ſaltem præcipua, deſunt.

Quartanæ puræ ſymptωmata & ſigna.

Nuadit primo die, cum paruo rigore, aut potius horrore, ſeu frigefactione: qualis per gelu hybernum ſentitur. Sed in augmento vniuerſali horror ita augetur: vt ab ægro ſentiatur contundens, & cofringens carnes: vt etiã in oſsibus pati laborem, & quandã refrigerationẽ, videatur. Calor minus æſtuans, feruens, deurens, quàm in tertiana. Pulſus acceſsionis initio, velut ligatus & intrò retractus, ſine libero aſcenſu, ſimilis pulſui decrepitorum: etſi

æger sit iuuenis. Ex naturali enim, ad tarditatem, & raritatem eximiè conuertitur: estque admodùm tardus & rarus. In augmento autem, & statu, velox, & frequès: seruata tamen etiam tum tarditate & raritate aliqua: vt tertianæ pulsu, sit multò tardior & rarior. Quin & post accessionē adhuc tardior & rarior sentitur. Initium enim quartanæ, cū tertianæ initio, nihil habet simile, in rigore & pulsibus.

Augmentum autem & status quartanæ, & tertianæ, multùm sunt cōtraria, motu caloris & pulsuum. Pulsus enim in vna percussione inæqualis, omnibus putridis febribus communis, in quartana manifestissimè apparet: tanquam illi sit proprius. Nam pulsus, initio & fine, celerius multo quàm in medio, mouetur: cum in tertiana, velocitatis excessus sit breuis: præcipuè in statu.

Vrinæ, tenues, albæ & aquosæ: omnino dissimiles vrinis tertianarum: interdū crassæ, & variæ: interdum crudæ.

Ob hæc omnia, qui quartanam à tertiana nequit statim primo die distinguere, medici nomen non meretur. Accessio quartanæ veræ, æqualis tertianæ, interdū longior, quia ex humore sit frigido.

Longior autem est huius, vt aliarum, accessio: si multus, crassus est humor melancholicus: & quietus, aut minus motus: & vires imbecillæ, & sensus tactus partium, per quas putrescens humor defertur, est obtusior: & ægri corpus est densum: breuis autem, à causis contrariis.

Sudor in declinatione, mediocris: sæpe in ipsa intermissione, sine vomitu bilioso, tertianæ proprio. Multæ febres quartanæ populariter vagantur: rarò per se initio quartanæ prehendit: sed febres erraticas & inordinatas sequi solet: quæ sunt diuersorum succorum soboles: siue quando atra bilis, in quibusdam partibus mouetur: in aliis immota manet: & in quibusdam partibus putret, aut feruere incipit. Cum verò in cūctis venis, atra bilis exuperat & putret: fit quartana, præcipuè autumno: cum motus humorum, foras ęstate tractorū, conuersio fit ad interiora, vi frigoris autūnalis. Succedit etiā autūni principio, vel ęstatis fine, febri æstiuę cōtinuę: in qua humor feruens ab ęstatis vt febris calore, in atrā bilem vertitur. Ergo multis ex aliis febrib⁹, & morbis, ἀποστάσεις seu digressiones in quar-

Gal. com. prog. 29. lib. 3.

tanam fiunt: ſtatu frigido & humido præſertim.

Hip. lib. 1. epi. & Gal. com. 3. in eundem. Ordine ſic quartanarum, interdum incipiunt quartanæ: ſæpius autem febres inordinatas, quæ particulares acceſſiones, ſine ordine habet, ſequitur. Quartana longiſsima: ſed tamen facillima & ſecuriſsima.

Ibid. & Gal. cõ. 3. Nam ea præſertim mediocris & intermittens, placida eſt ac toleratu facilis. Continuæ autem quartanæ admodum raræ & aliæ vſque ad criſin nullam habent moleſtiarum intermiſsionem: cum in quartanæ intermiſsione liceat conſueta obire munia. Sæpius ex liene grauem quartanam vidimus (inquit Gal.) quæ ſuperueniente hydrope, homines interemit. At quartana ipſa per ſe & quantum in ſe eſt, ſine periculo eſt: & morbos magnos, vt epilepſiam ſanat.

Hip. Ibi dẽ, et Ga. ac etiam cõ. 3. in li. 3. epid. A Eſtiuæ quartanę, magna ex parte breues: autumnales, longæ: & maximè quæ hyemen attingunt. Aph. 25. lib. 2.

A quartanis capti raro conuelluntur: Si verò iam conuellantur, quartana ſuperueniente liberantur. Aph. 70. lib. 5. Ratio eſt Apho. 26. lib. 2. Imo ſpaſmum & tetanum, febris ſuperueniens ſoluit. aph. 57. lib. 4. Quintana omnium peſsima. Nam ante phthiſin, & iam phthiſicis ſuperueniens, interficit.

Hip. lib. 1. epid.

Septimana longa: nonana longior. Neutra lethalis.

Quartanæ puræ curatio.

Ves boni ſucci, non paluſtres, aut aliter aquaticę. Piſces ſaxatiles, & alij carne molli, non lenta præditi. Vitet ſuillam, & alia tenacia tardi tranſitus, & refrigerátia ſiccantia. Vtatur ſalſamentis, etiam cum ſynapi. Vinum album, tenue, mediocriter calidum, aut aquam ſolam cum pipere, quotidie bibat. Victus omnis ventrem ſine flatibus molliat: aut conſuetus, aut cum clyſteribus primum mollioribus, pòſt acrioribus. Nam febris hæc initio leniter tractanda eſt. Ob id valenti medicamento & vacuatione abſtine: niſi multum ſanguis abundat. Tunc ſecta vena interna ſeu media brachij ſiniſtri: ſi niger & craſſus, qualis in ſplenicis, apparet, audacter

ter mittendus: si flauus aut tenuis, statim supprimendus. Frictiones & ambulationes fiant sine balneo. Opera consueta per intermissionem obeat: si accessio breuis sit & parum violenta. Diatriompepereon, & diospoliticon da, certis diebus. Hæc vsque ad statum feceris. In statu, si adhuc multum ægrotet: victu vtere tenuiore. Visceribus prospice, quiete, vnguentis, emplastris mollire & laxare potentibus, & sumptis vreticis, & medicamentis atram bilem vacuantibus: sæpe repetitis, si opus erit: modo morbi cocti signa adsint. Tuncque vomitus à cibo ciendus, succo rhaphanidum cum ellebroro albo, aut etiam solo elleboro: si illa nihil profecerint. Quod si ægrè vomat: per aluum purgetur. Da theriacam, aut confectionem de succo cyrenaico. Quæ remedia, si initio & ante statum dentur: ex simplici quartana, duplicem: ex duplici, triplicem: ex triplici, continuam & lethalem, aut saltem omnino maiorem & difficiliorem reddunt. Atra bile vexatis, hæmorrhoides superuenientes bonæ. Insanientibus, si varices vel hæmorrhoides superuenerint, sanantur. Et eadem, vt melancholiam morbum, sic quartanam sanant. Quartanæ κοτιλώδεις, id est lassitudinosæ seu quæ sensum lassitudinis habent spontaneæ, & ante morbum, & in morbo nascentes ab humoribus crassis & lentis, interdum soluuntur vrina crassa & alba: quæ ab absceſſu vendicat. Si verò præter vrinas, sanguis multus è naribus eruperit valdè cito liberat. Absque his, sæpe in absceſſum finitur.

Aph. 9. lib. 4.

Aph. 11. lib. 6.

Aph. 21 lib. 6. Hip. lib. 6. epid. & Gal. com. 4. in eũd.

De synochis, & continuis febribus.

Σύνοχος ab initio ad finem vnicam habet accessionem: & in ea, nullam aut minimam mutationem quibusdam periodis exacerbantem: sed vel ὁμότονος seu ἀκμαστικὴ, id est æqualiter affligens ac vigens est: vel ἀναβατικὴ seu ἐπακμαστικὴ, id est ascendens increscens: vel παρακμαστικὴ, id est inclinans. Σύνοχος autem duplex est: vna quidem non putris, ex sanguine plurimo tantùm calefacto, de genere diariarum. Altera putris est: vel statim ab initio, vel non putri succedens putrente scilicet sanguine. Qualis etiam ex putrescente in vteri ve-

Cap. 2. li. 2. febr. Causa huius variatis accessionum initio li. 9. meth.

nis,omnium corporis partium plurimis & maximis,ſanguine illas replente,ob retenta menſtrua, vel partus excrementa,vel phlegmonem. Gal.commẽ.1.in lib.6.epi.In qua putredine, quod in ſanguine eſt tenue & pingue magis, mox in bilem flauam abit:vti craſſum tandem in humorem melancholicum, melancholiæ quidem propinquum,nondum tamen melancholiam. Id quod in carbunculis quoque perſpicuum eſt. Quo fit,vt mutata priore ſynochi natura, quia ex ſanguinea febre in bilioſam degenerat,nomen quoque immutet: & συνεχὶς bilioſa vocetur. Totam συνόχωρ naturam,hoc eſt differentias,cauſas, ſymptωmata,ſigna curationem,Galenus pleniſsimè ſcribit libro methodi:nono quidem,non putris:vndecimo autem, putris. Ex quibus fontibus,ad ſatietatem vſque, cum opus erit,exhaurias licet. Nũc συνεχὶωρ naturam explicabo. συνεχὶς,ſeu continua febris, ab initio quoque vſque ad finem, vnicam habet acceſsionem:ſed multis particularibus periodis exacerbatam:vel quotidie,ſi pituitoſa eſt: vel alternis diebus,ſi bilioſa:vel quarto quoq; die,ſi melancholica.

Li. 2.feb. cap.12.

Cõtinua autem bilioſa τριταιοφυὴς,ſeu tertianę finitima, eſt duplex:vna quidem ex natura,& mox ab initio.

Altera,permutatione ex ſynocho putri,generatur.Cum enim bilis celerem ex ſanguine putrente generationem habeat:fit vt ſynocho putri ſuccedat mox,non melancholica febris,ſed bilioſa:quæ caloris lenitate,& cæteris ſymptomatis,ſimplicior,& mitior,& blandior, manui medici occurrit.Qualis calor à balneo eſt: tamen is plurimus eſt: ſic & pleuriticis rubrum ſpuentibus.

Febris tertianæ,circuitionis proportionem, per acceſsiones ſeruat: ſed ſimplicior atque clementior,quàm quæ cum ſputo flauo ſtatim ab initio bilioſa fuit. Id quod frequẽtiſsimum eſt.Sic in phlegmonis,largior ſanguis, quàm parti ſit ex vſu,quia nec bifariam diffiatur,nec à partis natura vincitur:incaleſcit,& tandem putreſcit:vt in vaſis magnis per ſynochõn:& febrem facit bilioſam:mitiorem tamen,quàm ſi ab initio phlegmone ſit eryſipelatodes, vel eryſipelas.Bilioſarum autem continuarum, ſæuiſsima eſt καῦσος, ſeu febris ardens:de qua poſteà. Sunt igitur continuarum febrium,primæ tres differentiæ. Quædam enim

Apho. 33.lib.6.

Capit.1. lib.2.feb.

quotidie habent exacerbationem: & eam, singulis diebus, similem: si ex humore fiunt pituitoso: aut primæ, tertiam, quintam, & alias diebus imparibus accedentes: & secundæ, quartam, sextam, octauam: in modum duplicis tertianæ. Quædam tertio quoque die exacerbantur: ex bile flaua ortæ, vel ex sanguinis putrentis transmutatione. Aliæ quarto quoque die, in modum quartanæ, exacerbantur: & eædem raræ. Porrò continuæ huiusmodi, cùm sibi cognatis intermittentibus conueniunt, materia febrem putridam cõmittente, & causis omnibus eam materiam in corpore cumulantibus, & curatione tum causam ipsam auferente, tum febrem extinguente: non tamen omnino similiter: vt mox audies. Differunt autem loco putredinis materiæ: vt antè diximus: & quòd post singulos paroxismos definunt intermittentes quidem ad ἀκμαστίαν seu integritatem: continuæ verò, ad παρακμήν, id est inclinationem quandam febrilem. Adhæc vt intermittens, sic intermitenti affinis continua, modò pura est & vera: modò notha & spuria: & modò simplex, modò duplex, triplex: & implexa atque composita, modò secum, modò cum alio aliquo genere, vel etiam cum duobus reliquis. Quin & ipsæ intermittentes continuis, nunc sibi affinibus, nunc naturæ diuersæ, miscentur: vt ostendit ἡμιτριτοῦσα, ex tertiana intermittente, & quotidiana continua constans. De qua Romæ frequenti, hic rara, lege Gal. in differentiis febrium, & commen. epidemion.

Febrium continuarum curatio.



Ebrium continuarum victus sit admodùm tenuis & exquisitus: si status sit propè septimum diem futurus, ac vires valeant, & ætas cõsentiat. Quibus verò status morbi, diu post septimum diem futurus est: initio, victu pleniore sunt reficiendi: propè statum autem, tenuiore: sed in ipso statu tenuissimo. Posteà victus sit aliquanto vberior: vt paulatim quidem augeas: quomodo ante statum, paulatim minuisti. Si morbi ma-

gnitudo, vires, ætas, consentiant: & corpus totum rubentius consueto est, ac tumentius: & venæ eminentes & tensæ, sanguinem mitte, quantum morbi magnitudo postulat, & vires & ætas ferre possunt. Sumant sorbitiones ex alica: panem ex aqua: cremorem ptissanæ, quibus non acesit: aut mulsam, quibus non bilescit. Si verò calida & æstuosa febris est: & coctionis signa appareant: ni sit viscer is alicuius phlegmone, da audacter frigidam: quantam febrilis calor, aër, natura, ætas, consuetudo, postulant. Sic vniuersim, febres continuæ symptomatibus grauibus, & malis (de quibus posteà) carentes, curandæ.

De causi seu febris ardentis differentiis, & causis.

Gal. li. 4. rat. vict. acut. & commen. 1 li. 1. epid.

Καῦσος, est febris calore vrenti, & siti inexplebili hominem torquens. Isque vel exquisitus est ac vehemens, & bilioſus: vel nothus, & pituitosus, & mitior: vt tertiana vel exquisita est, vel notha. Ab iisdem enim omnino causis fiunt veræ tertianæ, & causi bilioſi. Causi autem veri causa est, ἰχὼρ seu sanies tenuis, acris, bilioſa, à venis per æstatem siccatis attracta. Vt enim nos alimentis melioribus destituti, deteriora sumimus: sic venę vel partis alicuius, vel corporis totius, vehemẽter siccatæ, ex partibus carnosis humores bilioſos trahunt, & causon generant: sticuloſum quidem, cùm in totum corpus bilis est tracta: non necessariò sticuloſum, si in partem quamuis: nisi ea ad sitim excitandam sit idonea: qualis primò, & maximè, est os ventriculi: deinde ventriculus: pòst stomachus: deinde pulmo: interdum & inteſtinum ieiunum. Causum autem facit ἰχὼρ bilioſus, non solum à venis siccatis tractus, sed etiam à parte robuſtiore, vna, vel pluribus, expulsus in imbecilliorem. Neque tamen in quibuslibet corporis partibus collectus humor bilioſus, causum facit: sed circa ventriculum, & præcipuè ipsius os, ac circa pulmones, & partes simas, hepatis. Bilis enim flaua, in vaſorum capacitatibus cum sanguine contenta, & à quauis causa calente accensa, præcipuè in venis vẽtris, hepatis, pulmonis, febrẽ facit ardentẽ. Vbi verò per

Gal. com. 2. in lib. 1. epid.

partes corporis ſolidas,& ſentientes,& carnes fertur, rigorem: diffluens verò per cerebri,& meningum venas, in febrium vigore, deliria: in cerebro autem & meningibus firmata, phrenitidem excitat. Cauſa autem externa cauſi ſæpe eſt iter longum,& alia immodica exercitatio, in aëre calido,& æſtu:& longa in eo ſitis:& multa cogitatio:& ciborum ardentium vſus:& cauſæ aliæ omnes bilificæ, prius dictæ. Sic, ſua ratione corpus calfaciens, canis ortus, perpetuò febres ardentes facere ſolet: à quibus ſiccatæ venæ, humorem tenuem & acrem traxerunt. Huic propinquum quendam cauſum, ante ver, poſt dies aquilonios quidem paucos, auſtrinos verò multos, paucis contigiſſe ſcribit Hippocrates: ſed mitem admodum, & moderatiſsimum, & celeriter ac facillimè conſiſtentem: & qui nihil pernicioſum haberet. Quorum ſic febricitantium, paucis hęmorrhagia, id eſt ſanguinis è naribus fluor, contigit: neque ex his peribant. Cùm cauſorum vehementium maximè proprium ſit: hæmorrhagia vexari, delirare, mortem afferre.

Li. 1. epi.

Ibidem.

Cauſi veri ſigna: vltra dictas cauſas.

Auſi veri συμπτώματα κατὰ φύσιν μονικὰ quidem, id eſt propria, & perpetua, & affectum indicantia, febris vehemens (à bilioſo enim humore eſt) & laſsitudo vlceroſa, ob tenuis humoris acrimoniã. Συνεφίσωσις verò, id eſt aſsidentia, & nõ perpetua, ſunt: lingua ſicca, & ob id, aſpera: valde nigra, ab aduſtione, quàm corpus febri calidiore ſicciore affectum, facit: ventris dolor mordax & torminoſus, à tenuis ichoris affluxu. Deiectio interdum liquida pallida, à copia crudæ & acris & tenuis materiæ intrò motæ p morbi vehementiã: cũ cauſi ſedes hepar eſt, aut vẽter. Sitis vehemens, à caliditate & ſiccitate. Inſomnia, à cauſis iiſdem. Delirium interdum, à bile in caput elata: præſertim cum ſedes cauſi in pulmone eſt. Tuncque lingua aſpera, nigrior: & ægrè ſpirant magna & denſa reſpiratione: efflantque igneum ſpiritum, ore ſemper aperto: & ſic, ac inſpiratione frigida iuuantur. Os amaricat, à bile flaua tuni-

Hipp. & Gal. li. 4. dietæ acut.

cam ventriculi internam ori communem imbuente. Cauſi autem lethalia ſigna ſunt, Hippocrati. Febris initio acuta, paruus rigor, inſomnia, toleratio difficilis, ſitis magna & nauſea: ſudor in fronte & clauibus paucus, in corpore reliquo nullus: ingens delirium, mœror, timor: extrema vt pedes, ſed magis manus, frigida: acceſsiones diebus paribus, plurimum quarto die: labores maximi, ſudores diutiſſimè frigidi: extrema amplius non recalefcebant, ſed liuida, ſubfrigida manebant, ſitis nulla, vrinæ nigræ, tenues, paucæ: aluus aſtringitur: ſanguis è naribus aut nullus, aut paucus erupit. Sextò die, cùm ſudore mortui ſunt. Quorum ſymptomatum cauſas, in Galeni commentariis lege.

Lib. 1. Epid.

Febrim ardentem non valde acutam, ſtatui multum humido ſuccedentem, deſcribit Hipp. in qua ægri erant, comatoſi ſeu ſoporoſi, humectato capite à ſtatu humido: anxij & horrentes, parum ſitibundi, non deliri: ſuccorum malitia eò acrimoniæ nondum deducta, vt vigilias, deliria, phrenitidas, excitaret. Vbi Galenus cauſorum προηγουμενων καὶ & propria, & perpetua ſigna facit calorem deurentem, & ſitim inexpletam. Eadem paulò pòſt, nunc προηγουμενικὰ & inſeparabilia, & affectus ſubſtantiam complentia, nunc συνεφεστῶτα ſeu aſſidentia, & quæ vt plurimum illis accidant.

Li. 3. epi. & Gale. cõmen. in eund. 3.

Cauſi veri curatio.

Hipp. & Gal. ibid.

Octæ tum aquę, tum aquoſæ mulſæ, bibat æger quantum voluerit. Aqua enim cruda, & ſola, ob frigiditatem tardè permeat: & diutius in hypochondriis morata, corrumpitur in morbis acutis: imò in bilem flauam degenerat, Hippocrati. Mel autem per ſe & ſolum, facilè in bilem vertitur. Ob id aquam, & mulſam data quoſam, & vtranque coctã: vt citiùs diſtribuatur: aqua præſertim melli iuncta. Hæc quoque ſitim magis arcet: & flatu magis vacat: & vrinas magis mouet: & meli⁹ nutrit, quàm cruda mulſa: quæ tamen ad deiectionem eſt aptior.

Ibid. cap. de aqua.

Cocta autem minus acris est: vt quæ coquendo confecta est, & spumosum omne deposuit. In mulsæ autem crudæ substantia, acre & flatuosum est. Ob id cocta, & morsu & flatu caret. In morbis autem acutis, mulsa sola pota satis nutrit, sine succo ptissanæ. Ob id in his sorbitio non danda: nisi dies critici transierint: si vires valent. Salsa, & acria vitabis: quia calida sicca causum augent: illa magis siccando, hæc magis calfaciendo. Si os amarum, bilem vomat: & ventrem subluat clystere: per quem, si bilis non vacuetur, lacte asinæ cocto purgabis, non medicamentis purgantibus: quòd acria sint, & calida.

Id autem lac humidissimum est, & acrimoniæ expers. Coquendū autē: quia flatulentum: aut lactis huius serū dādum est, à caseo, & lacte cocto & calente secretum, iniecto oxymelite, aut in lac immisso sæpe æneo vase aqua frigida pleno. Soluitur hæc febris, à natura quidem criticè, per bilis aut sanguinis vacuationem: à medico autem: per bilis & febris extinctionem, à potu frigidæ. A causo habitus, rigore superueniente sanatur: nisi vires imbecillæ crisin perficere nequeant. Aphor. 46. lib. 4. Hunc verò rigorem, si ad integritatem febris desitura est, necessariò sequitur, bilis rigorem committentis (vt initio accessionis tertianæ) vacuatio per sudorem, vel vomitum, vel deiectionem, vel vrinas: vel horum duo, vel tria, vel quatuor simul. Per quas crisis causas, bilioſi humores perfectè vacuantur. Sæpe autem sudor criticus hanc soluit, tenuibus vacuatis humoribus: si cum vrina hypostasin albam, crassam, læuem, habente: aut eius loco, eneorema naturali calore, & consistentia præditum.

Aph. 58. lib. 4. *Libro 1. epid. com. 2.*

Cocto ergo morbo, sudor criticus, & vacuatio alia salubriter superueniat. Exquisitarum quoque febrium ardētium maximè proprium est, per hæmorrhagiam narium iudicari.

Commen. 1. & 2. in lib. 1. epi.

Sanguis enim in acutis febribus feruens, ad caput effertur: vbi apertis & ruptis venis, cū aceruatis vaporibus effunditur à natura cæteris promptius dominatura. Absces- su autem causus soluitur: verus quidem, rarissimè: nothus autē, interdū parotidibus. Possunt etiam bilioſi humores extingui, per tempestiuam frigidæ potionē, quę precipua

Commen. 4. in lib. rat. vict. acut.

eſt cauſorum ſanatio. Et Galenus cauſos ſæpe ita ſanauit: nullo omnino moriente. Non tamen cauſi omnes, frigidæ tempeſtiua potione ſanantur: ſed tantùm ſalubres. Inſalubribus verò & perniciosis, frigida nec ſalubris, nec danda. Quando autem frigida tempeſtiuè in cauſo danda & aliis febribus continuis: in harum curatione, paulò antè dictum eſt. Si verò cauſus abſque dictis vacuationibus naturalibus, tum medicis ceſſet: recidiuam faciet: aut dolor erit crurum, aut coxæ: & ſputum craſſum expuet: ſi ſanus eſt futurus. Imò quib⁹ in cauſo, ſanguis die tertio, aut quarto, paucus fluxit: quia imperfectè fluxit: omnes mortui
Hippocr. lib. 1. epi. ſunt. Quibuſdam, bile ad cutim depoſita, icterus die ſexto
Ibidem. ſuperuenit: ob id prauus, quia ante diē ſeptimū apparuit: vt aph. 52. lib. 4. Sed prauitatem emendauit eius vacuatio, per aluum, vrinas, hæmorrhogiam narium, die viceſimo, vel alio critico, ſuperueniens. In febribus enim ardenti-
Ibidem. bus, bilis largior, & calidior ſanguini miſta, ipſum vrit: & ad caput attollit: donec venas in naribus ruperit, & effluxerit: præſertim adoleſcentibus, & ætate florentibus. Cauſus autem nothus ſeu hybernus, eſt in quo corpus non vritur: & ſitis leuis eſt: dimidiumque tantum habet cauſiveri. Huius enim ſymptomata quædam habet: & ea, mitiora: quædam, non habet. Lingua ſicca, aſpera, vtriq; cauſo cōmunis eſt: nigra autem & amara, vero propria eſt: vt ſalſa, notho: à ſalſæ pituitæ copia. Sitis magna: non tamen ardens, & implacata: vt in vero: aluus deſcendit & ſubducitur, non à pituitoſo humore (is enim non facilè excernitur) ſed à corruptis in ventre alimentis. Non enim potu ſolo viuunt: vt in cauſo vero: in quo aluus cita eſt, ob tenuem & feruentem humorem. In notho autem tarda eſt aluus: à pituita frigida, craſſa, lenta. Vrina aut pauca eſt, aut nulla, ob pituitę craſsitiem. Inſomnia eſt minor, quàm in vero: refrigerantur extrema.

Nam in pituitoſa febre, fumoſa eſt caloris ſubſtantia: cū in ventre, hepate, pulmone ſalſus humor putruit. Si verò malignus ſit hic cauſus, extrema refrigerantur: ob virtutis imbecillitatē, & magnitudinem phlegmones, totum ſanguinem ad ſe trahentis. Finitur hic cauſus fluore ſanguinis è naribus, vt prior: vel abſceſſū circa collum: vt paroti-

dibus,aut dolore cruris,vel coxę,cum aluo astricta,& sputo crasso. Febres enim pituitosæ magis absceſsibus quàm aliqua insigni excretione soluuntur.

De febre peſtilente.



Ebris peſtilens, putrida quidem, ac continua:ſed omnium malignisſima. Ea naſcitur ex humorum in corpore, ob prauum victum,aptorum in putredinem à leui aliqua occaſione, vt aëre ambiente prę calido:ſed magna ex parte, incipit ab aëris peſtilentis inſpiratione: quę putrida exhalatio infecit:ex corporibus mortuis,non crematis:ex palude, aut ſtagno,per æſtatem : ex inquinamentis vicinarum regionum peſtilentium,cum aqua aut vento delatis.Quæ cauſa tamen non ſufficit:niſi etiam prior adſit, corporis ſcilicet afficiendi & putrefaciendi præparatio:quæ morborum generationis pars eſt maxima. Alioqui, in aëre peſtilente omnes morerentur. Corpus autem affici paratum & putrere,eſt variis excrementis ad putredinem paratis plenum: quæ meatuum omnium obſtructionem pariant:vti plethora. Talia autem excrementa parit cruditas, ex vita otioſa, epulis multis,ebrietatibus,veneris vſu immodico.Contrà verò,qui corpus habent huiuſmodi excrementis vacuum, & ob id per meatus omnes neque obſtructos neque aſtrictos liberè tranſpirant ac diffiantur:modicáque tum exercitatione, tum victus ratione vtuntur : ab aëre putrido vix afficiuntur.Tertia peſtilentiæ cauſa, eſt aër immoderatè calidus humidus.Ob id,in ſtatu peſtilenti Galenus corpora excrementoſa purgabat:obſtructiones omnes ſoluebat: humidiora, modis omnibus ſiccabat : ſicciora,conſeruabat : calidiora, temperabat : eáque præcautione, à peſtilentia impendente vindicabat.

Plura de hac febris putridæ differentiis,cauſis, ſignis, ſymptomatis,præcautione, curatione,ex practicis legas.

De hectica febre.

Gal. lib. 1. feb. c. 10. 11. 12. 13.



Ectica febris vna est continua vt synochus propriè dicta in accensis partibus solidis & præcipuè illarum humido naturali ab initio ad finem sem per exigua, obscura, æqualis: nisi quòd aliquantò post pastus nõnihil exacerbatur. Pulsusq; hecticæ tantò minor, tardior, rarior quàm synochi: quantò illius quàm huius calor est minor. In synocho enim velut flamma quædam multa manui medici occurrit: à qua pulsus maximus, velocissimus, frequentissimus. Ab aliis autẽ febribus accessiones ἀσύστατος seu liberas & æquales habentibus differt hectica: quòd illæ inæqualitatem quandam omnino habent post alimentum paulò ante exacerbationem datum: hectica autem post alimẽtum quauis hora datum velut accessionem quandam æqualem habet cum calore multo & magno & pulsu velociore. Hæc, quæ caloris & pulsus alteratio post nutritum hominem in hectica durat: quandiu alimentum distributum & appositum cordis squalorẽ humectat. Postea autẽ ad statũ redit, in quo erat ante alimentũ. Hæc autẽ caloris alteratio in hectica fit vt in calce, aliquo humore irrigata. In qua squalidus calor ceu ab humida substantia nutritus augetur, vt in lignis accensis oleo restinctus. Porro hectica febris est appellata vel quòd stabilis est ac soluta difficilis: vt ἕξις seu habitus vel quod partes occupet solidas, quas ἕξις seu habitus vocant ab humoribus distinguentes.

Lib. 1. fe. Cap. 9.

Febris hectica differentiæ.

Lib. 1. feb. ca. 10. 11. 12. 13.

Ectica triplex est: hectica tantùm: hectica marasmodes: hectica harum media. Hectica tantùm in humore insito, & naturali corporis cordis adhuc manente accensa est cognitu quidem difficilis, sed curatu facilis. Hectica marasmodes in corpore cordis siccato accensa est, in eáque cor sic afficitur vt elychnium in lucerna valde crema-

tum. Id enim ita vſtum fit friabile & cõtinuitatem perdit, nec flammam copioſam excitare poteſt: etiamſi oleũ multum illi affundas, ſed flammula in eo parua & infirma ſemper concuſſa minuitur, donec extinguatur. Sic natiuum corporis cordis humorem dum aſſumpſit calor febrilis hectica eſt maraſmodes cognitu facillima, vt paulò poſt audies: ſed omnino inſanabilis, vbi iam conſummata eſt, ſeu vbi humor inſitus, quo particulæ omnes nutriuntur & continentur vt in corpore cordis ſic in partibus cæteris fere nullus amplius ſupereſt. Quandiu enim is multus adhuc permanet, hectica eſt media quæ magnam habet latitudinem in ratione maioris & minoris ſitam: ita vt natura & curatione ſit nunc exquiſitè inter has media nunc hecticæ tantum: nunc hecticæ maraſmodi propinquior. Maraſmodes præterea liquaturam carnis per vaporem digerit: calidiſsimæ autem febres, quæ colliquantes quoque appellãtur, liquaturam in ventre, deiectione, & vrinis excernendam trãſmittunt: multam quidem ex carne multa, humida, molli & adipoſa: paucam ex contraria quæ in hecticam febrẽ promptè tranſeunt: niſi prius aut morbi violentia aut medicorum inſcitia interimat. *Lib. 10. Meth. in fine.*

Vbi enim adipem & carnem mollem colliquarunt, duram & ægrè liquabilem aggrediuntur: & deinde in maraſmodem quoque tranſeunt: licet tardiùs quàm vbi caro omnis ſicca eſt.

Febris hectica cauſa.

HEctica frequenter ſuccedit febribus acutis, & ardentibus male curatis, & non refrigeratis potu tempeſtiuo aquæ frigidæ (de quo prius) aut aliis remediis refrigerantibus (vt Galeni cerato refrigerante) adhibitis medio thoraci, & hypochondriis.

Imò contra perperam calefactis, & ſiccatis inedia triduí, à diatritariis: & cataplaſmate ex artomelite dictis partibus admoto, in febre acuta, vel ſola, cum hepatis aut ventriculi phlegmone.

Per quos affectus nisi cor siccatum sit, hectica non est.

Fit secundò, à mœrore valenti & longo, & ira, & magna lassitudine, in æstu. Et hæc initio, similis diariæ est.

Com. 1. in lib. 1. epid. Tertiò succedit hectica, etiam marasmodes, pulmonis & thoracis affectibus: vt phthisi vtrique, imtemperiei calidæ siccæ, empyemati & diutinæ phlegmone hepatis, ventriculi, stomachi, mesaræi, ieiuni, coli, renum, vteri, veficæ, imò & intestinis aliis per dysenteriam, aut lienteriam, aut diarrhœam diutinam, inflammatis. In quibus affectibus, & totum corpus, & præcipuè cor, siccatum est: nata inde exigua febre, vel statim initio, vel temporis processu, corpus cordis siccauit: & calorem febrilem solutu difficilem impressit. Diaphragmati inflammato succedēs hectica, prius interimere solet, quàm sit perfecta.

Ob id hecticæ vocantur hæ febres: etiam si harum quędam, humorum & partium ipsarum putredinem habent adiunctam.

Ob quam, si quis etiam putridas vocare volet, non laboro.

Cum Galeno autem febris hecticæ naturam secuto, hecticam appellare malo.

Hecticam quoque tantùm, siue siccitatem quæ in marasmum non transit, in magna pestilentia multis contigisse, Galenus scribit in lib. epid.

Hecticarum signa, tum omnium communia, tum singularum propria.

HEcticæ omnis & solius, signum est maximum: arteria omnis, quàm vicinæ partes calidior: in quibus calor moderatus apparet: præsertim post rarefactum corpus, perfusione aliqua: vt humor aliquis ex eo profluat, & calor perspiret. Cum tamen arteriæ calor, post eam perfusionem & perspirationem, æqualis perseueret. Id quod pulsus diastole, omnino similis permanens, ostendit: id est æquè velox & frequens. Pulsus paruus, gracilis, debilis, obscurus, durus, frequens: maior tamen

& velocior, hora vna vel altera poſt paſtus, vti & calor: qui tamen in omni hectica primo manus occurſu mitior eſt: immorante autem acer, erodens, mordax, ſquallidus. Acceſsio æqualis eſt ſine horrore ac extremorum frigore ſummo & pigritia inſigni.

Hectica tantum ſola & ſimplex, nullíque putridæ implexa, ferè in calida & ſicca natura, ab ira mœrore, metu, curis, vigiliis, victu tenui, labore, æſtu, incipit diariæ ſimilis: ſed acceſsionem, poſt viginti quatuor horas, ad integritatem non finit, vt diaria: imò vſque ad ſecũdum diem, ac etiam tertium, ſine acceſsione tertianæ extenditur: ſiccior & ſquallidior, ſed non vehementior: quia nec augetur, nec minuitur: ſquallidum tamen corpus, & calorem exhibet: primo quidem manuum occurſu (vt dixi) mitem: diutius autem immoranti, acrem, mordacem, ſquallidum. Eadem cum per ſe prehendit, à cauſa externa principium non habet ſenſibile, nec augmẽtum, nec vigorem: vti quę phlegmonas ſequitur partium dictarum.

Quæ verò febres ardentes, vel prorogatas, vel medici inſcitia malè curatas, ſequitur: principium cum ardentis temporibus confuſum habet. In hisque humor cordis inſitus, iam multus abſumptus eſt. In hectica maraſmode, & iam maraſmo propinqua, oculi ſunt multum cavi, conſumpta humida ipſorum ſubſtantia: lippitudo in oculis ſicca: qualis per ſolem & puluerẽ die toto profectis. Color viuidus faciei totius, & præcipuè frontis, concidit.

Frons arida & intenta. Palpebræ ęgrè aperiuntur: ſed conniuent, vt dormiturientibus. Tempora collapſa & caua, conſumptis muſculis crotaphitis. Cutis & oſſa, in corpore toto ſola ſuperſunt: adeò vt ventri, inteſtina & viſcera deeſſe videantur.

Hypochondria etiam, ad thoracem valde retracta. Cutis tactu ſicciſsima: & quæ digitis apprehenſa, corij ſicci modo rigeat.

Pulſus debilis, durus, paruus, frequens.

Debilis quidem à valida cordis intemperie. Durus autem, à ſiccitate.

Hecticæ curatio.

Hecticæ febris diſpoſitio ſanatu difficilis eſt: ſi principium trāſierit. Vbi autem amplius non incipit, ſiue conſummata eſt, omnino incurabilis eſt. Principium autem eius eſt: dum inſitus cordi humor feruet tantum, nec adhuc facultas eius vitalis & naturalis, à temperie natiua adeò receſsit, vt debilitetur: ſed nihil adhuc patitur, ob id tunc facillimè curatur. Vbi verò per ipſam ebullitionem humor conſumptus eſt: tunc ſimilares cordis partes, ipſius velut elementa ſiccióra euadunt: & minus nutriuntur: & facultas debiliratur, pro menſura caloris & ſiccitatis. Hæc verò hectica eſt media inter hecticam tantùm, & hecticam maraſmode: ſic dictam, quòd corpus per eam emaciatur, & conſumitur: non aliter quàm in maraſmo ſenili, aut etiam puerorum atrophia contabeſcentium, ſed ſine febre. Abſolutam hecticę ſanabilis curationem per refrigerantia, humectantia: tum ſumpta, vt cibum, potum, aërem inſpiratum: tum admota, vt aërem cuti propinquantem, medicamenta, balneum aquę dulcis & temperatę, lege & ſequere ſcriptam à Galeno, lib. meth. 10.

De febrium ſymptomatis.

li. 2. met. & lib. 1. ad glauc.

Vm tria ſint prima ſymptomatum genera: actio leſa, exceſſus retentorum, & excretorum, corporis affectus: hoc poſtremum leuius eſt cæteris & morbo ſublato ſtatim ceſſat. Priora duo, interdum tam ſunt magna, vt curādi ordinem immutent, & medici ſolicitudinem ad ſe trahant: nō quatenus ſymptomata ſunt (ſic enim nullam curationem aut prouidentiam medici poſtulant) ſed quatenus habent rationē cauſæ vires proſternentis, vel morbum augentis. Vires autem noſtrum corpus gubernantes, animales, vitales, naturales lædunt, quę ipſarū ſubſtantiam ſpirituoſam, carnoſam, ſolidam, inaniunt vel

alterant: vt omnis vacuatio immodica, vigilię, dolor. Quę etiam, dum immodica ſunt, morbum augent.

Vires ergo lædit omnis immodica vacuatio, ſiue ſpontina, ſiue medica: & lipothymiã, ſeu ἔκλυσιν (hæc enim rei vnius duo ſunt nomina) hoc eſt facultatis animalis lapſum excitat. Cui, niſi mox occurratur: ſyncope, hoc eſt virium omnium præceps lapſus, ſuccedit: nunc ſtomachica, nunc cardiaca.

Quod ſymptoma omnium eſt grauiſsimum, & maximè mortiferum: imò ſæpe mors ipſa, & propter hanc, ſymptomata alia, vt vacuatio, dolor, inſomnia, tantò ſunt formidanda magis: quantò lypothymiæ, aut ſyncopes cauſæ ſunt efficatiores. Lypothymiam igitur, ſeu animi deliquiũ, ac etiam ſyncopen, excitant: vacuatio immodica ſeminis, ſanguinis, chyli, humoris alicuius naturalis, aut etiam præter naturam: vt per vomitum, choleram, diarrhœam, lienteriam, dyſenteriam, hæmorrhoidas, purgationes menſtruas, & à partu, hæmorrhagiam narium, vulnus magnorum vaſorum aut multorum, phlebotomen, purgationem, abſceſſus, hydropis, empyematis, ſectionem vel vſtionem, ſudorem, diabeton, bulimon, id eſt ingentem famem: quæ nihil aliud eſt, quàm lipothymia. Repletio quoque, vt plethora, obſtructio & oppreſsio partium principum, vitioſus humor os ventriculi mordens, aut frigidus, craſſus, lentus, crudus, grauãs: aut os ipſum à cauſa alia male affectum: ſuffocatio ab vtero conuulſio ex repletione, vt in tetano, etiam lipothymiam, & interdum ſyncopen & mortem afferunt. Affectus animi vehementes: vt ira, timor, mœror, gaudium: præcipuè vbi vires corpus noſtrum diſpẽſantes ſunt imbecillæ: vt in ſenibus. Dolor vehemens capitis, neruorũ, tendonũ, articulorum, coli, ilei. Dolor etiã ex remediis dyſenterię valẽtiſsimis ortus: cõuulſionem quibuſdam & lipothymiã: demum cũ madore cutis, mortem attulit. Calor immodicus aëris, ignis: phlegmone magna. Febris magna & maligna: vt ardens, peſtilens, & magnã phlegmonẽ hepatis, vẽtriculi, ſtomachi, ſequens. Frigus vehemens, vt initio acceſsionum, & partes extremæ plurimùm refrigeratæ, quibuſdam hæc pericula attulerunt. Siccitas quoq; immoderata: vt in principiis fe-

brium ardentium: præſertim ſicciore corpore. Neque ſolum hæc ſymptomata: ceu cauſas, lipothymia ſequitur: ſed præcedit apoplexiam, epilepſiam: cum eſt malignior, διαφόρησιν συγκοπῆς, φθίσιν, ſuffocationem ab vtero. Vteri autem recurſus, & in latera inclinationes, plerunque ſequitur. Febres cum his ſymptomatibus iunctæ, non ęquè ſim plicem, vt prędictæ his carẽtes, curationem poſtulant: ſed in his expende febris magnitudinem: & quantum à ſymptomate periculum impendet: vrgentiorisque maiorem habe rationem: non neglecto tamen altero. Quæ remediorum ratio ſequeda eſt etiam, vbi duo ſymptomata ſunt contraria: & vbi morbi indicationes habent contrarias. Has verò ſymptomatum & morborum indicationes, non ſimpliciter obſerua: ſed cauſam, à qua ſingula fiunt. Ex hac enim, curationem aptam inuenies. Lipothymiæ enim varia debentur remedia, pro cauſis variis nuper dictis, mox ſcribenda. His ſingulis ſymptomatibus grauibus, lipothymiam, & ſepe ſyncopen excitantibus, propria ſunt remedia: quæ omnia percenſere infiniti eſſet operis: & quæ illorum morbis aſſident, ſine his curari nequeũt. Dicemus autẽ ea prędipuè: quę lipothymię aut ſyncopes acceſsioni repentè incidenti, occurrunt: ſumpta ſemper indicatione ab his ſymptomatibus, ceu lipothymię cauſis variis. Lypothymiam igitur à vomitu, cholera, alui profluuio, & alia vniuerſali vacuatione, curabis aſperſione frigidæ in faciẽ: naſi vulſione: oris ventriculi frictione blanda, cum manu molli & calente: vomitu, digitis aut penna in fauces immiſſa, irritato: manuum & pedum vinculis pluribus, valẽtioribus: illarum quidem, cum infernę excedunt vacuationes, vt in hęmorrhoidibus, purgatione menſtrua: horum verò, cum ſuperne, vt in hęmorrhagia narium, vomitu. Sic ſanguinem à vulnere in contraria reuelles: ad partem ſcilicet à qua eſt fluxionis origo. Sic cucurbitulæ hypochondrio dextro affixę, à nare dextra reuellunt: ſiniſtro, à ſiniſtra: mammis, ab vtero. Partem autem, ad quam fluxio fertur, ſtatue ſublimem: ſed quoad potes indolenter. Si quis habitu non ita pleno, ex recenti cruditate os vẽtriculi oppreſſum vel morſum ſentiat: aut etiam in vomitu humoris noxij, offenſum grauiter: os vẽtriculi primùm robora: deinde

inde cruditatis multitudinem vacua: nisi aluum etiam valde soluat. Alioqui mortis periculum attuleris. Vinum aqua frigida dilutum, sanat lipothymiam magnæ vacuationi succedentem: modo nulla sit viscerum phlegmone: nec magnus capitis dolor: nec affectus aliquis delirium excitans: nec febris ardens sit, & ea adhuc cruda. In his enim affectibus, vinum noxas affert insanabiles. Specta quoque in vini vsu, ægri naturam, consuetudinem, ætatem, aëris temperiem: vt des tutò calidum aut frigidum. Frigido enim planè lædentur frigida natura, calido assueti senes: decrepiti in aëre frigido calido iuuantur. Contrarij, contrà. Vinum autem, in fluxionibus ad ventriculum, sit calidum, tenue: in hæmorrhagia autem, crassum, nigrum, acerbum. Partes ad quas, & per quas fit fluxio, robora. Venæ ruptæ, si apparet, sanguinem supprimētia adhibe. Balneæ, fluxioni ad ventriculum, salubres: lipothymiæ à sudore, hæmorrhagia, vel alia vacuatione, insalubres.

Nam in sudore immodico, cutis refrigeranda aëre frigido natura vel arte, & astringenda. Vinum frigidum dandum. Æger nec vinculis extremorum, nec vomitu, nec aliter mouendus. Quæ omnia, fluxionem ad ventriculum augēt. Nam si lipothymia est à vitiosis humoribus os ventriculi mordentibus, vomat, per aquam tepidam, vel hydrelæon tepidum, quod etiam aluum mouet: ob id etiam salubre.

Si æger vomat: calefac partes ventriculo vicinas, & manus, & pedes. Deinde vomat, etiam digitis, aut penna in fauces immissa: & sumpto rursus dictovomitorio. Mordacibus vacuatis humoribus, ventriculum robora mulsa: cui absinthij coma erit incocta: posteà vino.

Et foris corroborantia: adhibe, imbecillo ori ventriculi debita: vt oleum absinthij, melinum, mastichinum, nardinum, vinum austerum, vel emplastrum è dactylis, vino austero, farina hordei, croco, aloem, mastiche. Humoribus autem adhuc in ventriculo manentibus, calefac tantùm: non astringe. Si pituita multa os ventriculi opprimat: vnge oleo absinthij: bibe hydromeli, vel oxymeli, in quo hyssopum, vel quid simile, infusum fuit: aut piper, vt diatriom pepereon, aut diospoliticon, & reliqua incidentia & vacuā

Ap.27. lib.6. & 45.lib.7. tia pituitã,dabis.Si empyo,aut hydropico, ſectione vel vſtione,pus & aquam totam vacuas:de repente moriuntur. Item ſi ex cynanche,aut pleuritide, pus in ventriculum vel thoracem,multum confluat,lipothymiam excitat. Hos refice mox optimis odoribus: & paulò pòſt ſorbitione cocto facili.

Plethoricos calefac modicè,frica,liga in artubus:à vino, cibo,balneo,abſtine:etiam ſi febricitent.Pota hydromelite vel oxymelite:in quo bullierint thymus,oryganum,pulegium,hyſſopus,vel aliud ſimile.Quæ ab vtero ſuffocantur:iiſdem curantur:dempto oxymelite:quod vtero & partibus aliis neruoſis nocet. His frica & liga pedes, magis quàm manus & cucurbitulam inguinibus, & coxis affige.

Hip.lib. 3. diæta. acut.

Quæ remedia vtero in latus inclinato etiã proſunt. Naribus quoque graueolentia,vtero autem ſuaueolentia, laxantia,calfacientia,adhibe. Lipothymiam ab obſtructione partis principis,cura ſimili oxymelite: & cibis incidentibus,ac vrinas cientibus:vt fœniculum,apium, petroſelinum,ami,daucum,ſpicam nardi recipientibus Deinde vinum album,tenue,non valde antiquum,offer.Lipothymiam à vehementi animi affectu curabis odoribus, narium conſtrictione & vulſione,& vomitu,& vino.

Lipothymiam à dolore vehementi coli, ilei nerui aut neruoſæ partis,capitis, curato partium affectarum calfactione,vinculis extremorum,& aliis:pro cauſa doloris varia,ſeu ſolutione continui,& alteratione ſubita partis alicuius ſentiẽtis:& pro doloris magnitudine.Si enim ex dolore vires:reſoluuntur & ex eo vitæ periculum impendet: dolor mitigandus:& vires roborandæ:vt morbo reſiſtere, & curationis ſpacio ſufficere poſſint.Vbi enim vires collabuntur,nondum tamen vehementer ſunt reſolutæ:ſymptoma,vt dolorem,vel aliud,oppugnamus.Si verò reſolutæ multum iam ſint:non modo ſymptoma ſedamus:ſed vires firmamus.Adhæc vbi dolor partis alicuius eſt vehemẽtiſſimus:aut fluxio tenuis,vigilias & tuſim excitans:pauca quædam narcotica,ſed inueterata, miſcet Galenus: ne dolore,aut vigiliis,vires reſoluantur.Et hæc ſymptomatis remedia ſunt.In ophthalmia autem,meri potio, venæ ſectio,purgatio,&c.affectum primò tollunt: & vna cum ip-

ſo,dolorem oculorum. Si caput dolet conſenſu ſtomachi: vomitu bilis aut pituitæ,aut vtriuſque,dolor ceſſat. Si affectus dolorificus,eſt capiti proprius:vt plenitudo, obſtructio,phlegmone aliquarum capitis partium:quærenda eſt doloris cauſa,& per contrarium auferenda.

Grauitas enim plenitudinem;mordacitas, humoris aut vaporis acrimoniam: pulſatio, phlegmonen: tenſio ſine grauitate aut pulſu ſpiritus crudi & flatuum multitudinem ſignificat. Tẽſiuus & pulſatorius, corporis membranoſi phlegmonen. Tenſiuus & grauis multitudinem intra membranas contentam. Cauſa autem doloris cognita,tibi modum curationis oſtendat. Vt ſi à corpore pleno,aut febre magna, vapores aut humores in caput ferantur: vacua clyſteribus acribus, purgatione, pauci ſanguinis miſſione.

Inter quæ reuellentia, & partium infernarum frictionem,& vincula:capiti admoue repellentia: deinde ipſum vacuantia:poſtremò roborantia.

Si dolor capitis,criſin per narium hæmorrhagiam, aut vomitum portendit:curationem non requirit.

Lipothymiam patientes à calore immodico,vt mora in aëre balnei,vel ſuffocante, refrigera ſtatim vento expoſitos,aqua frigida aſperſos Os ventriculi frica: deinde vino & cibo refice. Sic à phlegmone, febre magna ardentes,refrigera. Lipothymiam à frigiditate & bulimo, calefac igni,frictione,balneo,oleis calidis,cibo: vino calente. Eam verò quæ à frigiditate, initio acceſsionum frica: liga fortiter:& calefac extrema: vigilias, cibi & potus integram abſtinentiam impera. Lipothymiam ex ſiccitate (vt per febres ardentes,æſtus)extremorum vinculis cura. Deinda cibum euſtomachum,coctu facilem, potius ante animi deliquium:& vinum dilutum,malum punicum, vel alium fructum acidum. Si enim cibum largiorem, aut coctu difficiliorem dederis:lipothymiam augebis & ægrum ſtrangulabis. Lipothymiam à propria imbecillitate virium corpus regentium, intemperaturam cerebri, cordis, hepatis,ſequente,curabis remediis intẽperaturę cõtrariis: vt frigidã calidis & cõtra:humidã ſiccis,& cõtra. Facultas

autem vitalis in corde ſita, imbecillis noſcitur pulſu: naturalis in hæpate, deiectionibus ſanguineis, primùm aquoſis,& tenuibus: poſt craſsis,& fæci ſimilibus. Animalis in cerebro, motus voluntarij imbecillitate: & hæc inſtauratur inſpiratione,& plexu retiformi, vitalis inſpiratione & ſanguinis vapore: naturalis, alimento.

Cùm ergo ſyncope, ſit præceps harum trium facultatum lapſus: & harum eſſentia ſit, in ſpirituoſæ, carnoſæ ſeu humidæ, & ſolidæ ſubſtantiæ, tum iuſta quantitate, tum mediocri qualitate ſeu temperamento: qui harum quantitatem, & qualitatem iuſtam, ſimilibus ſeruarit: aut morbo vitiatam,ad mediocre reuocarit contrariis: ſincopen tum vitabit,tum,ſi immineat vel adſit, emẽdabit: ſenſim quidem, & paulatim, cùm ſenſim vacuata ſubſtantia illa,aut alterata eſt: confertim autem & ſimul, vbi magna & ſimultanea vacuatio,vel repletio,aut alteratio morbum facit.

Spiritus, omni momento multi vacuantur:& per nutritionem,aëre temperato puro inſpirato, & cibo, potu, inſtaurãtur: alterantur verò à vitioſis ſuccis,aëris malitia, & qualitate venenoſa. Spiritus quoque eſſentiam, diſsipant: animi affectus vehementes,ira, timor,mœror, voluptas, dolor, ſtudium vehemens, & intempeſtiuum & immodicum,præſertim cum ſpiritus eſt tenuior: ob id nimis diſsipabilis,& exhalabilis,& corpus eum continens, ratius, & reſpiratio prohibita,& alimenti penuria.

Nec ſolùm animi motus, in quo anima per ſeipſam mouetur: ſed etiã corporis,in quo anima corporis actiones facit,robur animæ diſſoluit: vt labor immodicus. Carnoſam ſubſtantiam, humida alimenta: vt potus, iura, ſorbitiones,pultes,iuſta quãtitate,& idonea qualitate: ſi ſunt ſimilia,ſeruãt: ſi contraria,vel lædunt: vel vitiatam,ad naturalem habitum reuocant,Solidorum corporum ſubſtantiæ (in qua vel maximè virium ſubſtantia conſiſtit) vacuatæ,ſuccedit tandem ſyncope in morbis longis, corpore per atrophiam extenuato, & in febribus acutis corpus colliquantibus. Temperies autem trium principiorum, cerebri,cordis,hepatis,& partium eis conſentientium, vt ventriculi,ſeruata,ſyncopalem acceſsionem maximè pro-

hibet. In ore enim ventriculi (quòd propter ſenſum exactiorem etiam ſyncopen, ſed ſtomachicam appellatam excitat) humorum crudorum copia, & craſsities, vires premit: poros, per quos fit reſpiratio, obſtruit: ſicque exitialem affectum, & ſyncopen excitat. Quòd in eo animal non nutritur (coctis enim non crudis, habile eſt nutriri) ſed calor natiuus ſuffocatur, & extinguitur. Si verò hi ſucci crudi, neque grauent, neque obſtruant: lipothymiam excitant, non ſyncopen. Pauca autem calida, tenuantia alimenta medicamenta, ſed crebra, his danda: nec exoluantur, & animo linquantur: vt vinum aquoſum, præſertim ſi ſenex eſt, ac febris parua. Qualis eſſe ſolet à crudi ſucci copia, & poſt meridiem, & circa noctem affligens. Hos ergo paulatim & ſæpe vacuamus: quia multam ſimul vacuationem ferre non poſſunt.

Quod ſi à copia ſucci crudi febricitãs, iuſtam ſemel vacuationem, ſine ſyncope ferre poſſet: hac vacuatione à morbo expediretur. His cõtrarij ſpiritus: & ſuccos in corpore toto prætenues, & ocyſsimè exhalabiles habent: & faciem Hippocraticam citò habent, à morbi vehementia: peiorem quàm à fluore alui, inedia, vigilia, triſtitia: & in ſyncopen promptè incidunt: niſi nutriantur cibis coctu & diſsipatu difficilibus: vt pane, alica, fructibus auſteris, & his cibis largioribus, ſi vires valent: parcioribus verò, ſed crebrioribus, ſi imbecillæ ſunt. His, vt prioribus, ſi phlegmone vẽtriculi, hepatis, aut alterius viſceris, adeſt: malum eſt inſanabile. Nã ſeruari nõ poſſunt, niſi crebro nutriãtur: nutriri tutò nõ poſſunt, niſi in phlegmones declinatione. Hos verò, cũ ante acceſsionẽ nutrire cogamur, febrim lõgiorem facimus: & dum cutim frigidis & aſtringentibus denſare cogimur, ne ita diſsipentur ſucci, & ſyncopen accerſant. Iam omnes cauſas lipothymiæ: & hac ſæuioris ſyncopes, abundè tractauimus: ventris & corporis reliqui vacuationem immodicam: doloremvehementem: vigilias immoderatas: motus delirantium: intemperiem principiorum ſolam, vel cum ſucco vitioſo. Sed cum vinum, natura calidum, tenue, flauum, odorum, vetus, ſubauſterum, omni ſyncope ſit dãdum: ſcopos quoſdam, pro cauſa ſyncopes varia, & pro conſuetudine, paucis tibi explicabo.

Frigidum enim ipſum,& interdum eius loco, hydromeli vel oximeli dabis æſtate, & frigido potui aſſuetis. Si autem æſtas ſit multùm æſtuans: frigidam quoque dabis: etiam ſi calido potui ſit aſſuetus: modò nullum viſcus à frigida lædi ſit opportunum.Contra hyeme,calidum: etiam ſi frigido potui ſit aſſuetus.Si aër caletin ſyncope, da panem madidum vino, aqua primùm frigida diluto: deinde calida. Si etiam bilis flaua os ventriculi infeſtat, da frigidum vinum: modo ventriculus,& hepar phlegmone careant. Vinum autem ſit tenue: quia alimenti coctionem,& in corpus diſtributionem iuuat:& ſucci bilioſi,ſtomachum lædẽtis,vitium mitigat:ſtomachum firmat: corporis habitum calfacit:iucundum eſt potu.In ſyncope autem à crudis humoribus,da falernum: quia coctionem & diſtributionem magis iuuat:& ſucci eſt melioris.In penuria autẽ vini,ſincope à crudi ſucci copia aut bile: da aquoſum vetus:quod alimenti diſtributionem,proximè fuluis, iuuat:quia tamen minus calidum:coctionem in ventriculo & venis,minus iuuat.

Fuluum præterea magis epiceraſticum, ſeu attemperans, & miſcibile, & nutriens. Ex aquoſorum autem ſubſtantia,nihil in ſanguinis ſubſtãtiam vertitur. E fuluis autem,elige aquoſiora: ne caput feriant: & tenuiora, quæ vrinas maximè mouent.

Fuge autem fulua craſſa, auſtera,noua, amara: quia illa ægrè coquuntur & diſtribuuntur. Amara, laudabilem vini ſuccum & nutrimentum iam amiſerunt.Hæc ſymptomata febrium grauia,non ſolùm medici curam ad ſe trahunt,& curandi ordinem immutant: ſed etiam remedia febrium cauſis debita interturbãt.Febris enim cum alui profluuio, etiam non vacuante pro multitudinis ratione, aliam vacuationem non admittit,per medicamenta purgantia,aut phlebotomen: ne ægrum in pericula grauiora coniicias. Inſomnia vehemens,& dolor magnus,ſubitam ac multam vacuationem prohibet. Si febris eſt, cùm neruorum diſtentione,egens,phlebotomię: minus vacua, quàm morbi magnitudo poſtulet,& aliquid ſymptomati condoña,ſæpe ſudores & vigilias moleſtas excitãti,virésque proſternẽti. Si os vẽtriculi affectũ eſt:ita vt ne cibos,quidem appetat:

ſed malè tum retineat, tum coquat: ſi ſumere cogantur, integram vacuationem ne adhibe: neque his, qui vacuari non conſueuerunt: aut non integrè, aut nunquàm ſunt vacuati: & multis cibis vſi ſunt. Contrà qui paucis cibis vſi ſunt, & vacuari conſueuerunt, audacter vacuandi: ſi cætera conſentiant. Symptomatis grauis loco quædam ſunt: & etiam remedia cauſis morborum debita interturbant: vt temperatura, ætas, conſuetudo, corporis habitus, vires, aër. Calidi & ſicci natura, promptè omnes ab integra vacuatione læduntur. Pueri & ſenes integram vacuationem non ferunt. Nunquàm vacuati, aut non integrè, conſidera tius & parcius vacuádi, quam morbi magnitudo poſtulat. Qui carne ſunt rara, molli, diffluente: qui per cutim multùm difflando, vacuantur: moderatè & cum metu ſangui nem mitte, ſi omnia mittendum ſuadent: ſed alia potius vacuatione vtendum. Contrà, qui carne ſunt dura, denſa, integram vacuationem ſuſtinent. Multùm aut graciles, aut obeſi, integram vacuationem per phlebotomen, vel aliter, non ſuſtinent: ſed his omnibus, & prædictis (vbi morbus vacuationem poſtulat) non ſemel, neque ex toto vacuandi, ſed paulatim: moderata inedia, clyſtere, molli frictione, vnctione, cataplaſmatis, balneo: pro variis indicationibus. Quibus vires aliquę, vel omnes, ſunt imbecillæ natura, vel ex morbo, aut prauo victu: vacuationem iuſtam non ſuſtinent. Aër calidus ſiccus, vacuari corpus purgatione, aut venæ ſectione, nō patitur: ne in ſyncopen incidat. Aëre quoque multùm frigido, ſanguinem ne mitte: ne acceſsionis initio, frigus tolerare non poſsit. Alia ſunt ſymptomata, febribus vel omnibus, vel quibuſdam, communia: ſed leuiora, & minus exitialia: vt ſitis, deiecta appetentia, difficultas deglutiendi, ſpirandi, nauſea, ructus, ſingultus, vomitus, toleratio difficilis, lingua aſpera, nigra, ſcotωma, vertigo, delirium, capitis grauitas, tuſsis, ſternutamentum continuum, triſtitia, timor in ſomno, ſomnia terribilia, oris & oculorum per ſomnum apertio, oris fœtor, aphthe, ſpaſmus quarundam partium: multa, aut nulla, aut parcior miſtio, & deiectio: & alia quædam. Sunt & alia quædam ſymptomata, febribus propè ſingulis ſua: vt quotidianæ, extremarū partium frigus: quartanæ, horror:

tertianæ,rigor. Adhæc pulſus,& vrinarum, & aliorum plu rimorum differentiæ,his & his febribus propriæ. Quorum ſymptomatum cauſæ à Galeno ſcriptæ ſunt,in lib. de cauſis ſymptomatum:& alibi paſsim. Remedia verò pro cauſis variis, varia, ob id orationem longam poſtulantia, tamen à practicis nulla methodo congeſta, tibi in præſens ſufficiant,rationem & iudicium adhibenti, & ea ad Galeni iudicium expendēti: nec ſi practicos omnino ſequaris: ægro,& ſymptomati ſæpe plus noceas, quàm proſis. Sitis verò remedia,pro cauſis variis varia,tibi, quod dico, perſpicuum reddiderint. Sitis,eſt appetitus frigidi, aut humidi,aut vtriuſque. Frigidi quidem ſolius: quando à ſolo calore excitatur: humidi ſolius,quādo à ſola ſiccitate prouenit. Vtriuſque ſimul,quando ab vtraque intemperie, in ore ventriculi preſertim,proficiſcitur. Quæ enim alia eſt oris ſiccitas, nobis quoque vulgò ſitis dicta, à pulmonis, aut cordis, aut aliarum partium intemperie calida vel ſicca,vel vtraque,efficitur:& aëre frigido humido inſpirato, magis quàm potu,ſedatur. Sitim igitur animalem,in ore ventriculi ſitam:& naturalem, in toto corpore ſparſam: à ſiccitate ſola,humiditas aquæ, in potu,& balneo, ſanat: & aliorum ſimiliter aquoſorum.

Aqua enim omnium humidiſsima. A calore quoque natam ſitim,aqua & aquoſa,actu frigida ſi ſumantur,tollunt.

Libro 1. ſimpl. capit. 32.

Ergo etiam ab vtraque hac intemperie natam ſitim, aquoſa actu frigida ſanāt:& eadem ratione,oxycraton: cuius acetum,tenuitate ſua,aquam in corpus vniuerſum celeriter diſtribuit.

Acetum autem ipſum,ſitim à calore & humiditate ſalſa natam,in hydropicis,& quibus ventri eadem pituita ſalſa illita inhæreſcit,ſanat. Particularia alia propè infinita ſitis remedia,apud omnes inuenies: ſed quæ omnia, cauſas iam dictas reſpiciant oportet: ſi certa ſitis remedia ſunt futura.

FINIS.

Candidus imperti meliora: vel vtere noſtris.
Carpere vel noli noſtra, vel ede tua.
Vale.